

AB

23460

00  
Kor

784

! M

8

Quam liber hic dulcis nobis  
erumpit in undas!  
Quam fluit hic gratis Anxie  
amoenus aquis.  
Si mille inferni crucient  
mea pectora curis  
non alio cupiam fonte levare  
<sup>situm</sup>  
Scilicet hic Christum  
video de Virgine natum  
cum patre aeterno qui Deus  
ipse manet,  
Hic et in atroci patiens cruce  
cernitur illam,  
Qua fuerat mundi morte parva  
Salus  
Hic etiam in Coelum ascendens  
redivivus, ut ille  
Cultores posset semper habere  
fuit  
Christe tuum ratem coelesti  
cinge corona  
Qui Tua si digno carmine  
facta canit  
Christe Veni, Dilecte veni  
sperantibus in Te, quam  
promisisti coelitus afer opem  
Ant. Brallius.







HYMNOLOGIA  
SACRA.  
Sive  
DECADES OCTO  
**HYMNO-**  
**RUM,**

Qvarum  
Quatuor priorum  
plerosque  
Melodiâ & Rhythmo  
conformi  
GERMANICIS  
Latinos fecit:  
Reliquas quatuor Decades  
collegit,  
& partim recensuit

JACOBUS HENRICUS  
PAULLI, SIM. F.


---

HAFNIÆ, A. O. R. MDCXCIX.  
Typis VIDUÆ Joh. Phil. Bockenhoffer.  
Prostet apud JOH. JUST. ERYTRO-  
PHYLUM.

L. M. B.

Imprimantur  
H. BORNEMANN D.





*NOBILISS. ET EXP-  
RIENTISS.*

*VIRO,*

*Dn. SIMONI  
CORFINIO,*

*MED. DOCT.*

*ET PRACTICO HAM-  
BURGENSI,*

*THEOLOGI FILIO,  
NEPOTI,*

*ET*

*SIMONIS PAULLI,  
SVERINENSIS,*

*THEOLOGI SUI TEMPORIS  
EMINENTISS.*

*PRONEPOTI DIGNISSIMO,  
ET AB ILLIUS PROGENIE  
CONSOBRINO MEO CARISSIMO,  
QVEM INSIGNI PIETATE*

*PRÆDITUM*

*SEMPER INTELLEXI,  
SEMPER A PUERO AMAVI,  
HAS CANTILENAS SACRAS,*

*A 2 IDIQ.*

(D):(O):(G)

---

IDIOMATE ET RHYTHMIS  
LATINIS  
PARTIM A ME VESTITAS,  
PARTIM ALIUNDE COLLECTAS,  
TANQVAM PRÆTERMISSOS  
PRÆTER. TEMPORIS  
MUTUÆ NOSTRÆ BENEVOL.  
FRUCTUS,  
HONORIS ET AMORIS ERGO  
L. M. Q.  
DO, DICO, CONSECRO.

JAC. HENR. PAULLI,  
SIM. M. FIL.

---

PRÆ-

# PRAEFATIO.

*Pie Scandide  
LECTOR,*

**Q**uos heic habes, Quidque priorum Decadū Hymnos, quandoquidem eos ferè omnes lingvâ Germanicâ, mihi vernaculâ, ab ineunte adolescentiâ memoriter tenui, & in diversis meis itineribus, quum nemora & silvas transirem, nocturno præsertim tempore, cantillando subinde repetere consuevi, in Latinum sermonem convertendi non alia quam hæc ipsa fuit occasio.

Nec tempus sanè magis idoneum sacris hisce Meditationibus invenire unquam potuisse. Tabernas enim divisorias ingressus chartæ illos committebam, & in reliqâ deinde viâ, ad eosdem recolendos, quin & emendandos ac poliendos, otii habebam plus satis. Quumque primus eorum, quem *Anniversarium* inscribo, ob metri istius Trochaici,

A 3

quod

## PRÆFATIO.

qvod fortè elegeram, peculiarē concinnitatē, ex sententiā successisset, mox cum seqventi, qvi in Nativitate Christi cantari solet, cuiq; multū artis Poëticæ inesse statuo, feci periculū, non minori cum facilitate iisdem & numeris & rhythmis utendo. Inde paullatim ad alios accessi, & feliciter absolvi. Sed in illis, qvos metro Sapphico sine elisionibus expressi, & paucissimis aliis, rhythmos superfluos esse demum adverti.

Ostenderam, ut ferè fit, laborem hunc Amicis qvibusdam meis, & inter alios Clarissimo Dn. JOACHIMO HENNINGES, Con-Rectori Scholæ Hamburgensis, qvi pro veteri nostrâ consuetudine, non novum hoc esse opus monuit, mihiqve *M. Wolfgangi Ammonii Franci libellum Odarum Ecclesiasticarum*, Lipsiæ A. C. M D LXXIX: impressum exhibuit. Statim verò mecum observavit, Auctorem hunc, in evitandis elisionibus omnibus, nimis diligentem, nullas propemodum, valdè tamen in hujusmodi Carminum generibus necessarias cæsuras, & in fine rhythmorum multa dissylaba & monosyllaba, ubi ne quidem opus

## PRÆFATIO.

opus erat, adhibuisse, ita ut omnem  
svavioris soni gratiam qvibusdam in  
locis penitus perdidissent, ne de  
phræseologiâ depravatâ, & sensus  
obscuritate, qvorum otrumque in  
versione ipsius non raro occurrit,  
qvid dicam: optimos Viri conatus,  
& operosissimum sibi novem anno-  
rum laborem, qvod ipsem fatetur,  
LXVI. circiter Odis impensum, de  
cetero magni aestimans.

In primis autem, qvæ in Epistolâ  
suâ Dedicatoriâ, de mirificâ Psalmo-  
rum, Hymnorum, & Canticorum  
spiritualium, iꝝ animos & corda au-  
dientium (addo etiam canentium)  
penetratione, & de causis instituti sui  
affert, nimirum: Ut exteris, qui  
Germanicæ lingvæ usum non habent,  
in serviat; simulque confessio & do-  
ctrina Ecclesiæ nostræ, qvam LU-  
THERUS instauravit, toti mundo  
pateat, maximè mihi probantur, &  
incitamento fuerunt, ut ad Exem-  
plum PH. MELANCHTONIS,  
qui G. Thymæi incomparabilem i-  
stam Odam:

*Aufer immensam, DEVS, aufer  
iram, correxit, & utriusque nomine  
publici juris facere nullus dubitavit;*

## PRÆFATIO.

non solum à me Latinitati donatas,  
sed & aliorum Auctorum, & veteris  
Ecclesiæ Cantilenas sacras, & trans-  
lationes, qvarum aliquot præterea  
emendavi, in unum fasciculum per  
Decades congregatas, eundem in fi-  
nem typis exscribi permiserim: non  
verò ut eādem operā, præter priva-  
tam Amicorum approbationem,  
gloriolam aliquam inde captarem,  
sed potissimum, qvod qvidem ex ani-  
mo & verè affirmo, ad Pietatem ex-  
citandam, quæ fructu suo, & præsen-  
tissimâ rebus in adversis consolatio-  
ne nunquam caruit.

Ex Anglia nuper in Daniam redux-  
factus, offendì fortè Hafniæ, apud  
Virum Clarissimum M. JOH. JAC.  
LANGIARIUM, ejusdem argu-  
menti aliud Georgii Galli Chrudi-  
meni librum, titulo: *Mysticorum  
Psalorum & Odarum cum Eccle-  
siasticis qvibusdam Hymnis LU-  
THERI*, qvos in Latinum idioma  
transtulit, Noribergæ A. C.  
M DC XXXI. excusum, qvem  
postqvam totum percurrissem, non  
feliciori qvâm Ammonii venâ elab-  
oratum deprehendi, ita, ut qvum  
omnibus diligenter perpensis, tres  
so-

## PRÆFATIO.

solummodo ipsius Odas, quas *Deca-*  
*di quinta* inserui, emendandas mihi  
proponerem, vix totidem lineas in-  
de retinere, interdum etiam nec sen-  
sum capere, nec omnes barbarismos  
intelligere potuerim: cui difficulta-  
ti, vel potius obscuritati, excusatio-  
nem prætexit *lingua Teutonica* &  
miram rotunditatem, & *monosylla-*  
*bicam* gravitatem, quā in parte eam  
vix aliam superiorem habere arbit-  
ratur. Qvod qvidem verum esse,  
egomet ipse experientiā doctus sum.  
Ex *Ammonio* autem *Psalmos* &  
*Hymnos* undecim selegi, & simul  
correxi, quos in *Decade tertia* &  
*quartā* invenire licet.

Si quis interea, hoc meo exem-  
plō, vel novas versiones Latinas, ha-  
rum similes, aliasve Odas hisce su-  
peraddere, vel supra memoratos  
*Ammonii* & *G. Galli* Libros inte-  
gros aliquando recensere voluerit,  
is rem faciet, ut ego opinor, DEO,  
*Ecclesiæ*, *Proximo*, & *Germanicæ*  
*loquelæ* imperitis, gratam simul &  
proficiam: laude quoque, si  
velit, dignissimam.

VALE.

In Hymnologiam  
Sacram


JAC. HENR.  
PAULLI.

Carmina sacra qvidem multi ser-  
mone Latino  
Vertere tentarunt. Nam pius  
iste labor:  
Difficilisq; simul. Sed eorum ne-  
mo paravit  
Hanc laudem, PAULLI, qvam  
tua vena tibi.  
Macte novâ virtute, novis qvæ vivet  
in Hymnis!  
Nec majora potes reddere do-  
na DEO.

f.

JOH. TRELUN-  
DIUS.

DE-



## DECADIS PRIMÆ HYMNORUM

- I. Adjuvate me supremi.
- II. Descendo sumnâ siderum. *V. 13*
- III. Qvæ fuit, JESU bone, tam severæ.
- IV. CHRISTUS necis severæ.
- V. Svacissimo meo.
- VI. Qvisqvis DEO confidit.
- VII. O CHRISTE JESU, nescius.
- VIII. Vitæ meæ qvum sensero.
- IX. O CHRISTE, qui verissimus.
- X. Hoc CHRISTUS ipso tempore.

## DECADIS SECUNDÆ HYMNORUM

- I. Hoc ego te nunc celebrabo mane.
  - II. O CHRISTE, sempiterni. *V. 1*
  - III. O CHRISTE JESU gratiæ. *V. 8*
  - IV. Sed qvò recurretem.
  - V. O Numen optimum.
  - VI. Nil Mundus efficit.
  - VII. Nunc offeramus omnes. *V. 5*
  - VIII. Tot laudes tibi debitas.
  - IX. O CHRISTE, mundum illumin. *V. 1*
  - X. Dum sumus superstites.
- ORATIO DOMINICA.

## DECADIS TERTIÆ HYMNORUM

- I. Hic sanctus est Decalogus.
- II. CHRISTUS ad beata ductor.
- III. E morte suscitatum.
- IV. CHRISTUS polos revisit. *V. i.*
- V. Sanctum rogamus Spiritum. *Tot.*
- VI. Præstò sit Pater DÆUS. *V. 3*
- VII. Jam DÆUM beemus.
- VIII. Sit summa laus summo DEO.
- IX. Circumdatos angoribus.
- X. Cur amas tantum mea mens dolere.

## DECADIS QVARTÆ PSALMOR. DAVIDIS

- I. O potens rerum DÆUS. *Psalm. 5. v. 7.*
- II. DÆUS supreme respice. *Ps. 12. Tot.*
- III. Qvis incolet tuum, DÆUS. *Ps. 15. X.*
- IV. Qvæ nos qveunt discrimina. *Ps. 23. X.*
- V. More Cervi, qvi strepentis. *Ps. 42. X.*
- VI. Arx firma noster est DÆUS. *Ps. 46. X.*
- VII. Nobis benignus sit DÆUS. *Ps. 67. X.*
- VIII. Sit Parens rerum mihi. *Ps. 103. X.*
- IX. Nisi DÆUS persisteret. *Ps. 124. X.*
- X. Audi profundo pectore. *Ps. 130. X.*

## DECADIS QVINTÆ HYMNORUM.

- I. Veni Redemptor Gentium. *1. v. 7.*
- II. Idem : Nunc gentium Redemptor. *V. 7.*
- III. Cœlitùs phalanx sacrata.
- IV. A Solis ortùs cardine.

V.



- 
- V. *Idem*: Qvà Sol recludit cardinem.  
 VI. Veni maxime Spiritus. *T*  
 VII. *Idem*: Veni sis, bone Spiritus. *T*  
 VIII. Veni Creator Spiritus. *T*  
 IX. *Idem*: Sancte Spiritus Creator. *T*  
 X. Serva DEUS verbum tuum.
- 

## DECADIS SEXTÆ HYMNORUM

- I. Dies est lætitiae.  
 II. Herodes, hostis impie.  
 III. Patris Sapientia.  
 IV. CHRISTUS pro nobis passus est.  
 V. Vita Sanctorum, decus Angelorum.  
 VI. Spiritus Sancti gratia. *T*  
 VII. O Lux beata, Trinitas. *V. i*  
 VIII. CHRISTE, qvi lux es & dies. *V. i*  
 IX. Aufer immensam, DEUS.  
 X. Jam mœsta qviesce.
- 

## DECADIS SEPTIMÆ HYMNORUM

- I. Conditor alme siderum. *V. i*  
 II. Rex CHRISTE, factor omnium.  
 III. Ad Agni cœnam providi.  
 IV. Festum nunc celebre.  
 V. Qyod chorus vatum.  
 VI. Fit porta coeli pervia. *V. 2*  
 VII. Æternæ gratias tibi. *V. 7. 8.*  
 VIII. Æterno Patri gratias. *V. 4*  
 IX. Dicimus grates tibi. *V. 1. 2*  
 X. Me satis nondum scio præparatum. *V. 8*
- 

A 7

DE-



¶)(o)(¶

## DECADIS OCTAVÆ CANTICORUM

Veteris Ecclesiæ

- I. JESU dulcis memoria. *V. n. i. 5. 20*
- II. Salve cordis gaudium.
- III. Puer natus in Bethlehem.
- IV. Resonet in laudibus.
- V. Corde natus ex Parentis. *X*
- VI. Surrexit CHRISTUS hodiè.
- VII. Canticum B. MARIÆ.
- VIII. Canticum ZACHARIÆ.
- IX. Te DEUM laudamus.
- X. Rex tremendæ Majestatis.

*Pag. 123. Tot.*

*P. 124. Tot.*

*P. 141. Tot.*

*P. 150. V. 7.*

*P. 166. V. 5. 6.*

*Pag. 169. i. 70*

*V. 6. 8.*



¶)(o)(¶)(o)(¶)(o)(¶)(o)(¶)(o)(¶)

IN-

45):():50

---

# INDEX

*Hymnorū Germanicorum  
in versuſ & Rhythmoſ Latinos  
translatoſum.*

- Ach Gott vom Himmel ſieh darein.  
DEus ſupreme respice. Dec. IV. 2.  
Auf meinen lieben Gott.  
Svavifſimo meo. Dec. I. 5.  
Aus tieffer Noth.  
Audi profundo pectore. Dec. IV. 10.  
Christ der du biſt der helle Tag.  
O Christe mundum illuminans. D. II. 9.  
Christ fahr gen Himmel.  
Christus polos revisit. Dec. III. 4.  
Christiſt iſt erſtanđen.  
E morte fuſcitatum. Dec. III. 3.  
Christ lag in Todes Banden.  
Christus necis ſeveræ. Dec. I. 4.  
Christe der du biſt Tag und Licht.  
Christe, qvi lux es & dies. Dec. VI. 8.  
Christum wir ſollen loben ſchon.  
A Solis ortuſ cardine. Dec. V. 4.  
Christus der uns ſelig macht.  
Patris Sapientia. Dec. VI. 3.  
Der du biſt drey in Einigkeit.  
O lux beata Trinitas. Dec. VI. 7.  
Der Heiligen Leben.  
Vita Sanctorum. Dec. VI. 5.  
Der Tag der iſt fo freudenreich.  
Dies eſt lätitiae. Dec. VI. 1.  
Des H. Geiſtes Gnade groſſ.  
Spiritus Sancti gratia. Dec. VI. 6.  
Dis ſind die H. Zehn Geboth.  
Hic sanctus eſt Decalagus. Dec. III. 1.

Ein



## I N D E X.

- Ein sefe Burg ist unser GOT.*  
Arx firma noster est DEus. Dec. IV. 6.  
*Ein Kind gebohn zu Bethlehem.*  
Puer natus in Bethlehem. Dec. VIII. 3.  
*Erhalt uns HERR bey deinem Worth.*  
Serva, DEus, Verbum tuum. Dec. V. 10.  
*Erstanden ist der Heilige Christ.*  
Surrexit Christus hodie. Dec. VIII. 6.  
*Es ist gewisslich an der Zeit.*  
Hoc Christus ipso tempore. Dec. I. 10.  
*Es wolt uns GOT genädig seyn.*  
Nobis benignus sit DEus. Dec. IV. 7.  
*Gelobet sey der HERR, der GOT Israel.*  
Benedictus Dominus, Deus Is. D. VIII. 8.  
*GOTT der Vater wohn uns bey.*  
Præstò sit Pater DEus. Dec. III. 6.  
*GOTT sey gelobet, und gebenedeyt.*  
Jam DEum beemus. Dec. III. 7.  
*Helft mir GOTtes Güte preysen.*  
Adjuvate me supremi. Dec. I. 1.  
*HERR Christ der einige GOTtes Sohn.*  
O Christe sempiterni. Dec. II. 2.  
*HERR GOT dich loben wir.*  
Te DEum laudamus. Dec. VIII. 9.  
*HERR hör wen ich wil bitten dich.*  
O potens rerum DEus. Dec. IV. 1.  
*HERR JESU Christ du höchstes Guth.*  
O Christe JESU gratiae. Dec. II. 3.  
*Herr JESU Christ ich weis gar woll.*  
O Christe JESU, nescius. Dec. I. 7.  
*Herr JESU Christ wahr Mensch und GOT.*  
O Christe, qvi verissimus. Dec. I. 9.  
*Herr wer wird in der Hütten dein.*  
Qvis incoleat tuum DEus. Dec. IV. 3.  
*Hertz liebster JESU, was hastu verbrochen.*  
Quæ fuit, JESU bone. Dec. I. 3.

Hört

I N D E X.

- Hört auf mit trauen und klagen,  
Jam moesta qvielce. Dec. VI. 10.  
JESu meines Hertzens Freud,  
Salve cordis gaudium. Dec. VIII. 2.  
JESus Christus unser Heyland.  
Christus ad beata ductor. Dec. III. 2.  
JESus Christus wahr GÖttes Sohn,  
Christus pro nobis passus est. Dec. VI. 4.  
In dieser Morgenstund wil ich dich leben.  
Hoc ego te nunc celebrabo. Dec. II. 1.  
Kom GÖtt Schöpfer Heil. Geist.  
Veni Creator Spiritus. Dec. V. 8.  
Meine Seel erhebt den Herrn.  
Magnificat anima mea. Dec. VIII. 7.  
Mitten wir im Leben sind.  
Dum sumus superstites. Dec. II. 10.  
Nicht so traurig, nicht so sehr.  
Cur amas tantum. Dec. III. 10.  
Nun bitten wir den Heil. Geist.  
Sanctum rogamus Spiritum. Dec. III. 5.  
Nun kom der Heyden Heyland.  
Veni Redemtor Gentium. Dec. V. 1.  
Nun laß uns GÖtt dem HERren.  
Nunc offeramus omnes. Dec. II. 7.  
Nun lob meine Seele den HERren.  
Sit Parens rerum mihi carm. Dec. IV. 8.  
O GÖtt du frommer GÖtt.  
O Numen optimum. Dec. II. 5.  
O JESu süß wer dein gedenkt.  
JESu dulcis memoria. Dec. VIII. 1.  
Sey Lob und Ehr mit bohem Preys.  
Sit summa laus summo DEO. Dec. III. 8.  
Vom Himmel hoch da komm ich her.  
Descendo summā siderum. Dec. I. 2.  
Vom Himmel kam der Engel Schaer.  
Cœlitus phalanx sacrata, Dec. V. 3.

Wär


I N D E X.

- Wär GOTT nicht mit uns diese Zeit.  
Nisi DEUS persisteret. Dec. IV. 9.  
Was fürchst du Feind Herodes sehr?  
Herodes, hostis impie. Dec. VI. 2.  
Was frag ich nach der Welt.  
Nil Mundus efficit. Dec. II. 6.  
Was kan uns kommen an für Noth.  
Quæ nos queunt discrimina. Dec. IV. 4.  
Was Lobes solln wir dir.  
Tot laudes tibi debitæ. Dec. II. 8.  
Wenn mein stündlein verhanden ist.  
Vitæ meæ quum sensero. Dec. I. 8.  
Wen wir in höchsten Nöthen seyn.  
Circumdatos angoribus. Dec. III. 9.  
Wend ab deinen Zorn.  
Aufer immensam, DEUS. Dec. VI. 9.  
Wer nur den lieben GOTT lässt walten.  
Quisquis DEO confidit. Dec. I. 6.  
Wie nach einer Wässerquelle,  
More Cervi, qui strepentis. Dec. IV. 5.  
Wo soll ich fliehen hin?  
Sed quò recurrerem? Dec. II. 4.



DE

DE-



7.4.  
9.  
.5.  
E.

# DECAS PRIMA HYMNORUM GER- MANICORUM

translatorum à J. H. P.

## I.

Hymnus Anniversarius


*Helft mir Gottes Güte preysen.*

Metro Trochaico dimetro: dicolo.

*αέλφεζεικῶς.*

## I.

 Djuvate me supremi  
Numinis benignitatem  
Prædicare, qvotqvot estis,  
Flosculi primæ juventæ:  
Gratias agamus illi  
More qvovis, sive cantu,  
Sive lætis plausibus.




Singulis qvidem diebus,  
Et per omne tempus, illud  
Nos deceret, sed sub anni  
Exitum magis, redire

Qvan-


Qvando s̄evit Sol in orbem.  
Ecce, iam redit, simulqve  
Annus instar proximus.

Serio consideremus,  
Qvas DEus nobis ab alto  
Misit in sinum, perennis  
Gratiæ largitiones,  
Divites, easqve nullo  
Fine: Non est negligendum  
Pignus hoc Clementiæ.



Sed nec unquam mente nostrâ  
Deleantur, hoc in Anno  
Omnibus nobis abundè  
Qvas dedit necessitates.  
Ille nos protexit omnes,  
Ille nos deliberavit  
Prorsus à periculis.

Upiuscujusqve sortem,  
Conscientiam, fidemqve,  
Cum Scholis, aras, focosqve,  
Pace constanti beavit,  
Nosqve nutritivit, suumqve  
Fecit exstisile victum  
Singulis ætatibus.



Nec manu collata parcâ  
Istiusmodi fuere  
Dona, qvippe nos obumbrans  
Pervigil noctes diesqve,  
Nec domus nostras, nec Urbes,  
Qvodqve quisqve possidemus,  
Interire passus est.

4.

Ille commotus paternâ  
Charitate, sponte nobis  
Immerentibus pepercit.  
**Ceterūm, si ponderari,**  
Et pari peccata pœnâ  
Debuissent affici,

∞ ∞ ∞

Jam diu nos occupasset  
Sæya mors, & mille totos  
Damna nos jam perdidissent,  
Pessimis iniqvitatum  
Sordibus contaminatos,  
Et gravissimis probrorum  
Impeditos vinculis.

5.

Ille nos indesinenter,  
Optimi Parentis instar,  
Diligit, favetqye nobis,  
Dummodò peccare tandem  
Desinamus, idqve fiat  
Corde verè pœnitenti,  
Inqve Christum credimus.

∞ ∞ ∞

Qvin nec illibenter idem  
Improbis, & absqve fupo,  
Debitum remittit omne,  
Atqve pœnâ mitigatâ,  
Ipse vult adesse præsens  
Rebus adversis, opemqve  
Ferre succumbentibus.

6.

Tam freqventer erogatas  
Has tuas benignitates,  
Insuper tui qvod istud  
Filii nobis amore

Lar-

IIIc

Largiaris omne gratis,  
O Pater, coeli Monarcha,  
Prædicamus maximè.

∞ ∞ ∞

Fas adhuc sit hoc precari:  
Auream servare pacem,  
Hujus & velis per Anni  
Circulum cunctos tueri,  
Ne quid accidat sinistri,  
Et cuique des quod optat,  
Ac beatè vivere.

## II.

## In Nativitate Christi.

*Vom Himmel hoch da komm ich her.  
Metro Jambico dimestro : monocolo.*

1.

**D**escendo summâ siderum  
Domo, bonumque nuncium  
Apperto. Magnâ copiâ  
Nova audietis cetera.

2.

Hac luce natus parvulus,  
Castæ Mariæ Filius,  
Est ille, qui vult intimo  
Vos recreare gaudio.

3.

Christus, DEus ter optimus,  
DEus ter idem maximus,  
Qui venit, ut vos adjuyet,  
Et noxios absolveret.

4.

Affert salutem ecclitùs  
A Patre yobis omnibus,

In nostro ubi consortio  
Vivetis omni seculo.

5.

Ad signa nunc attendite,  
Præsepe, & hæ sunt fasciæ,  
Qvæ continent infantulum,  
Totius Orbis Arbitrum.

6.

Proinde læti possumus  
Intrare cum Pastoribus.  
Gratissimum spectaculum  
DEI videmus Filium.

7.

Præsepe at illud occupat  
Qvisnam Puer? desiderat  
Nam cor meum: pulcherrimus  
Est JESUS, & dulcissimus.

8.

Salvebis Hospes inclite,  
Gentis Redemtor pessimæ  
Qui natus: à me gratias  
Habebis hinc amplissimas.

9.

O res stupenda maximè,  
In viliori gramine,  
Qvō Bos, qvō Asellus pascitur,  
Mundi Creator sternitur.

10.

Sit totus Orbis amplior,  
Gemmis & auro clarior  
Vel millies, vix parvula  
Forent tibi incunabula.

11.

Tu Rex es augustissimus,  
Et omnium ditissimus,  
Fœno tamen, ceu fasciis,  
Et purpurâ, circumdaris.

12. Ut

12.

Ut esse verum intelligam,  
 Opes, honores, gloriam,  
 Non esse quod Tu postulas,  
 Qui tale quid non aestimas.

X

Dilecte JESU, lectulum  
 Fac me Tibi purissimum,  
 Meo quiescens pectore!  
 Sic perpetim servabo Te,

13.

Tibi que cum tripudio,  
 Summoque plenus gaudio,  
 Conabor usque cantica  
 Cantare quam suavissima.

14.

Grates Patri sanctissimo  
 Pro Filio sint unico,  
 Hunc Angeli jaetissimum  
 Ferent quotannis nuncium.

## III.

## De Passione Christi.

*Hertz liebster JESU, was hastu verbrochen?*

Metro Sapphico, sine elisionibus.

1.

**Q**uae fuit, JESU bone, tam severi  
 Causa decreti? Tibi culpa qualis,  
 Aut tibi quodnam scelus imputatur?  
 Quid meruisti?

2.

Conspuunt sanctam faciem, pudendis  
 Te modis tractant, bene verberatus  
 Pungeris spinam, datur hinc acetum  
 In cruce stanti.

3. Sunt

3.

Sunt mei lapsus, (etenim fatebor,)  
 Intimis & qvod latet in medullis  
 Crimen, ut, qvos tu pateris dolores,  
 Hos ego ferrem.

4.

Mira res, iminò penitus stupenda,  
 Plectitur Pastor qvod oves patrarunt.  
 Ipse pro Servis Dominus malignis,  
 Ecce! necatur.

5.

Pro malis item bonus interire  
 Debuit: pœnis Homo liberari;  
 Sed DEUS, summo veniens Olympo,  
 Cárcere claudi.

6.

Totus, ah! totus vitiis abundo,  
 Pessimæ vitæ specimen: proinde  
 Exitus justæ foret ultionis  
 Ignis Ayerni.

7.

O Amor summus, favor & redundans!  
 Gaudeo rebus tumidus secundis,  
 Omnium, sed Tu pateris, malorum  
 Victima factus.

8.

Magne Rex Regum, benefacta tanta  
 Qvis potest dignâ celebrare laude?  
 Qvis potest gratus satis esse? Nemo,  
 Nemo profectò,

9.

Hoc meos sensus superat, nec ulla  
 Res huic unquam similis reperta.  
 Ergo qvì tantum potui favorem  
 Fortè mereri?

10.

Si tamen qvicqvm Tibi judicarem  
 B Non

Non inacceptum, mibi poenitenti,  
Effet, ut nunquam veteris redirent  
Semina labis,

11.

At meis illud minimè parari  
Viribus doctus, precor obsecroque,  
Spiritum recti Sapientiaeque  
Ut mihi dones,

12.

Tunc tuum nomen venerabor, atque  
Te mihi, mundi titulis relictis,  
Semper exemplum statuam seqvendum,  
Cetera spernens.

13.

Semper addictus Tibi, præparato  
Corde conabor mala ferre quæque,  
Quin & ipsius nihil æstimabo  
Spicula mortis.

14.

Hæc utut parvi pretii putentur,  
Non ferent à te facile repulsam,  
Consules æqui potius bonique,  
Qvod dare possum.

15.

Quum mihi, JESU bone, largieris  
In tuo cœli solio Coronam,  
Tunc Tibi grato memoriqve carmen  
Pectore promam.

## IV.

## In Die Resurrectionis.

*Christ lag in Todes Banden.*

Metro Anacreontico : monosyllo.

1.

**C**hristus necis severæ  
In vinculis retentus

Sur.

Surrexit, atqve vitæ  
Nobis perenne munus  
Dedit, proinde grates  
Læti DEO ferentes,  
Cantemus *Haleluja*:

*Haleluja!*

## 2.

Mortem domare nemo  
Mortalium valebat,  
Sed nullus orbe toto  
Omni probro vacabat.  
Mors hinc repente venit,  
Cunctos simulqve fecit  
Regni sui colonos.

*Haleluja!*

## 3.

JESus tamen, Supremi  
Proles, fuit paratus,  
Omnes luitqve mundi  
Nostro loco reatus.  
Mortisqve stricta jura,  
Solâ manente formâ,  
Cum spiculis ademit.

*Haleluja!*

## 4.

Res est profectò mira  
Vitæ necisqve bellum:  
Qvô Vita, Morte victâ,  
Ab hâc refert triumphum.  
Scimusqve, mors ut, unâ  
Ab alterâ voratâ,  
Sit tota facta lusus.

*Haleluja!*

## 5.

Paschalis agnus, ecce!  
Præceptus à JEhova,

B 2

Amo.

Amoris urit igne,  
Crucis repostus arâ.  
Hunc monstrat, ante postem,  
Fides Neci cruorem:  
Nex nemini nociva.

*Halleluja!*

6.

Hoc est solemne festum,  
Qvod maximo favore,  
Sol ipse, nempe summum  
Numen, sinit redire,  
Et corda nostra grato  
Suo serenat astro,  
Nox transiit malorum.

*Halleluja!*

7.

Veris fruamur ergo  
Nunc azymis, vetusta  
Fermenta nulla verbo  
Sint gratiae remista.  
CHRistus cibus manebit,  
Mentemque sic replebit,  
Fides ut illud optat.

*Halleluja!*

## V.

### Ode Consolatoria.

*Auf meinen lieben Gott,*

Metro Jambico dimet. brachicatal.  
ultimis quatuor versib. Anacreontico:  
*Rhythmis rarioribus.*

I.

S<sup>V</sup>avissimo meo,  
Afflictus, in DEO  
Fiduciam repono;  
Is extricare damno

Nam

Nam me potest ab omni  
Manu suâ potenti.

2.

Licet neqvisimus  
Sim, nolo perdere  
Spem, me sed applicabo;  
Soliqve dedicabo  
CHRISTO, dies per omnes,  
Ipsaqve mortis horâ.

3.

Nec mors qvid impedit,  
Mihi sed emori  
Lucrum perenne, certâ  
CHRISTO manente vitâ.  
Non ergo curo, iam nunc,  
Vel cras obire mortem.

4.

O CHRISTE, mortue  
Mortem gravissimam  
Pro me, meâqve culpâ!  
Salute comparatâ,  
Mihi, piisqve, cœlum  
Facis patere, cunctis.

5.

Benignus audias  
Me supplicem, DEUS,  
Et qvum mori necesse,  
Non desinas adesse.  
Dextrâqve sublevare,  
Et me beare cœlo.

6.

Qvocunqve tempore  
AMEN, qvod est ita;  
Cum mente volvo. Rectâ  
Nos semitâ gubernâ!  
Nec Te, tuumqve Nomen  
Laudare desinemus.

B. 3

VI. A.

atal.  
co:

Nam



## VI.

## Alia Ode Consolatoria.

*Wer nur den lieben GOT läßt walten.*

Metro Jambico dimetro, hypercatalesto, & acatalesto: dicolo.

## 1.

**Q**visquis DEO confidit, omnes  
Et spes opesque consecrat,  
Hunc ne premant adversitates  
Miraculosè sospitat.  
Et quisquis illum amplectitur  
Hic non arenâ nititur.

## 2.

Lamenta quid, gravesque curæ,  
Cor anxium suspiriis  
Quid nos juvabunt, sique manè  
Nos torquenius singulis?  
Nil, qyam qvod ægritudines  
Hinc augeantur indicis.

## 3.

Parumper, euge! perferamus,  
Et debitâ modestiâ  
DEI potentis gaudeamus  
Nos erigi Clementiâ.  
Is, si quid est qvod deficit,  
Parens benignus prospicit.

## 4.

Is terminos felicitatis  
Novit, regitqve providus,  
Largitur & fidelitatis,  
Nobis nec exspectantibus,  
Constantiæque præmia,  
Vota ipsa transcendentia.

5. In-

5.

Insana qvum sors intonabit,  
 Ne te relictum cogites,  
 DEoqve gratum, qvi putabit  
 Aeqvare se jam cœlites.  
 Nam qvod videtur stabile  
 Mutatur omni tempore.

6.

Facit DEus, qvos vult, beatos,  
 Assentiens facillimè  
 Depauperari fastuosos,  
 Et pauperes ditescere.  
 Est ille, qvi nos evehit,  
 Idemqve, qvi nos deprimit.

7.

In ore cantus sint, precesqve,  
 Rectâqve perge semitâ,  
 Ut sit tibi præsens recensqve  
 Divina semper gratia:  
 Nam qvi DEum sic diligit  
 Hunc ille nunquam deserit.

## VII.

Pro Euthanasia.

*HErr JEsu CHrist ich weis gar wol.*  
 Metro Jambico dimetro acatalecto &  
 Anacreontico: dicolo.

I.

O CHriste JEsu, nescius  
 Non sum, qvod interire  
 Oporteat, sed inscius  
 Sum, qvomodo perire  
 Et qvando demum debeam,  
 Hoc namqve soli deferam  
 Tibi, meoqve fato.

B 4

2. Du-

In-

2.

Ductu tui sed spiritus,  
 In Te meum repono  
 Solatium, quod unicus  
 (Qvō corde lator ipso,) M  
C  
 Factus Redemtor, omnia  
 Et abluisti crimina,  
 Regnumqve comparasti.

3.

Hanc, CHriste dilectissime,  
 Corroborare mentem  
 Velis rogo, nec respue  
 Te perpetim seqventem.  
 Sed fac Tibi cohæream,  
 Nec temet unqnam deseram,  
 Donec subibo Cœlum.

4.

Finem libenter optimum,  
 Id si Tibi placeret,  
 Habere vellem, Spiritum  
 Meumqve, qvum recedet,  
 Tibi, tuæqve dexteræ,  
 Verâ fide, committere,  
 In lectulo recumbens.

5.

Sin me, latronum vulnere,  
 Vel transeundo silvas,  
 Vel pestilenti sidere,  
 Vel igne, vel per undas,  
 Vis avocare, judica  
 Me, pro tuâ Clementiâ,  
 Qvam vivus invocavi.

6.

Errare sed si fecerit  
 Me magnitudo morbi,  
 Verbisqve si peccaverim,  
 Gestuve non decenti,

Me.

Memento qvod nil sciverim,  
Culpæqve qvam commiserim  
Haut amplius recorder.

7.

Da, me modestis moribus  
Obire posse mortem,  
Inter supremos halitus  
Ne sentiam dolorem.  
Tœdæ sed instar mortuæ  
Exstingvar, inqve sanguine  
Lotus tuo recedam.

8.

Incertus omnis exitus:  
Sed te nihil docebo,  
Sectator usqve sedulus  
Verbi tui manebo.  
Credamqve vitæ Principem  
Me præstiturum sospitem,  
Mors sit vel hæc, vel illa.

9.

Hinc est, Tibi qvod expetam  
Me devovere totum:  
Vitamqve Te, nec alteram,  
Velim, moriqve lucrum,  
Qui certior certissimo,  
Qvod me die novissimo  
A morte suscitabis.

## VIII.

## De extremâ mortis horâ.

Wenn mein Stündlein verhanden ist.

Metro præcedenti, *αρχαγεσικῶς*.

I.

**V**itæ meæ qvum sensero  
Jam mox adesse metam;

B 5

Et

Me.

Et evocatus scivero  
 Venisse mortis horam,  
 Me, C<sup>H</sup>riste J<sup>E</sup>s<sup>u</sup>, respice,  
 Comesq<sup>ue</sup> fidus, sustine  
 Tum me periclitantem.

∞ o ∞

Vitalis auræ spiritum,  
 (Dum pergit avolare,) Tibique per me traditum,  
 Fulcire non gravare  
 Eâ manu, qvâ proteges  
 Illum, nec unqvam negliges!  
 Sic spero, sic & opto.

2.

Tot actiones pessimæ  
 Me subruent dolore,  
 Morsusq<sup>ue</sup> conscientiæ  
 Pessundabunt timore,  
 Majoris ista ponderis  
 Arena qvā sunt æqvoris,  
 Si fortè computentur.

∞ o ∞

Meum tamen formidine  
 Pectus replere nolo,  
 Sed morte C<sup>H</sup>risti & sanguine  
 Corroborare malo.  
 Nam qvæ tulisti vulnera,  
 Sunt, C<sup>H</sup>riste, tot solatia,  
 Tot recreaciones.

3.

Membrum tui sum corporis,  
 Hinc corde l<sup>a</sup>etor imo,  
 Curisq<sup>ue</sup> liber anxiis  
 Te neutiq<sup>vam</sup> relingo,  
 Optatus in gravissimis  
 Qvi portus es periculis,  
 Qvæ mors mihi minatur,

Nee

∞∞

Nec illa , si me corripit ,  
 Me destruitq̄e totum ,  
 Quid efficit , sed reddit  
 Me , jam Tibi dicatum .  
 Tu , morte vietâ , denuò  
 Mihi dedisti mortuo  
 Vitâ frui perenni .

4.

A morte qvod surrexeris  
 Non semper in sepulchro  
 Manebo , sed me vinculis  
 Ab hisce liberabo ,  
 Plenus tuæ fiduciâ  
 Ascensionis , spicula  
 Quâ mortis abstulisti .

∞∞

Nam qvò velis , te prævio ,  
 Statim venire possum .  
 Eòqve nunc me confero ,  
 Victurus usqve tecum .  
 Et hanc viam cum maximo  
 Insisto certè gaudio ,  
 Paratus hinc abire .

5.

Sic est : abibo amplexibus  
 Et brachiis apertis ,  
 Me donec augustissimus  
 Judex vocabit Orbis ,  
 Valde quietè dormiens ,  
 Et , nemo me , non nesciens ,  
 Qvod possit excitare ,

∞∞

Qvām Christus ipse , filius  
 DEI , suis beatis  
 Cœlum recludens omnibus ,  
 Et ostium Salutis ,

B 6

Qvos

Qvos inter & me transferet,  
Meumque nomen inseret  
Æternitatis aulæ.

## IX.

In agone, & luctâ mortis.

*HERRE JESU CHRIST, wahr Mensch und GOT,*  
Metro Jambico dimetro acatalepto :  
monocolo.

**O** CHriste, qvi verissimus  
Homo, DEique filius  
Es, atqve factus omnium  
Ad usqve mortem opprobrium!

2.  
Patri tuo non displicens,  
Ex orbe sed nunc exiens,  
Tuam, precor per vulnera,  
Opem mihi non denega.

3.  
Videre qvando desino,  
Nec auribus plus audio,  
Qvum vox in ore, & anxiis  
Cor cessat in præcordiis:

4.  
Qvum mentis usus deficit,  
Me qvisqve tandem deserit,  
Salutis auctor, ultimis  
Tunc adsis in periculis.

5.  
Me liberes ut carcere,  
Mortisqve de tyrannide:  
Simul maligni Spiritus  
Me vindices à fraudibus.

6. Men-

6.

Mentem tuæ sed dexteræ  
 Trado, solutam corpore,  
 Qyod è sepulchro denuò  
 Surget die novissimo.

7.

Hanc tum mihi fac gratiam,  
 Ut te Patrono gaudeam,  
 Tecumqve possim, criminè  
 Obliterato, vivere.

8.

Verbi tui sanctissimo  
 Nam fido testimonio,  
 Qvod dicit: is qvi credidit,  
 Amen, Amen, non interit;

9.

Nec me timebit Judicem,  
 Lethi perennis tramitem  
 Nec ibit, etsi mortuus  
 Existimetur omnibus.

10.

Qyin addis: ista vincula  
 Rumpam manu fortissimâ,  
 Ut in polo longissimo  
 Mecum fruatur gaudio.

11.

Istius autem supplices  
 Nos redde voti compotes:  
 Omnemqve culpam supprime,  
 Et prætolantes sustine!

12.

Tibi fideles ultimo  
 Ut obviemus termino,  
 Et offeramus prævium  
 Obdormientes Spiritum.

## X.

## De Die Novissimo.

*Es ist gewißlich an der Zeit.*

Metro Jambico dimetro acatalepto, &  
Anacreontico: dicolo.

## 1.

Hoc CHristus ipso tempore  
Qvō jam sumus, redibit,  
Bonos, malos promiscuē,  
Idemqve judicabit.  
Tunc risus omnis desinet,  
Qvum flamma quidvis auferet,  
Sic annotante Petro.

## 2.

Clangor tubarum perstrepet  
Totius Orbis oras,  
Et mortuos mox extrahet,  
Ut prodeant in auras,  
Sed qvi supersunt, ilicō,  
Planē novo spectaculo,  
Se sentient novari.

## 3.

Volumen inde maximum  
Cuique prælegetur.  
Qvod continebit omnium  
Culpas, & audietur  
Qvid qvilibet commiserit,  
Et qvomodo peccaverit  
Vitæ per omne tempus.

## 4.

Qvām tum gement qvi riserint  
Verbum DEI sacratum,  
Et unicē corraserint  
Fluxas opes, & aurum.  
CHristo procul, tetterima

Co.

Cogentur ire in tartara,  
Et Inferum paludes.

5.

JEsu, juva tum temporis,  
Ob vulnerum tuorum  
Causam, qvod horum & Indicis  
Nomen meum librorum  
Pars, ut mihi persvadeo,  
Sit, hoste victo, debito  
Prorsus solutus omni.

6.

Patronus ergo amabilis  
Qvando redibis esto!  
Et ex tuo cum ceteris  
Me, qvæso, nosce libro.  
Ut tot queam cum fratribus,  
Salute partâ cœlitùs,  
Illuc abire tecum.

7.

Sed es nimis novissimâ  
Cum luce, CHriste, tardus.  
Spe tristis Orbis irritâ  
Videtur esse lassus.  
Veni, veni, justissime  
Judex, ut afflictissimæ  
Genti detur levamen.

---

FINIS DEC. I.

---

DE-

**DECAS SECUNDA**  
**H Y M N O R U M**  
 translatorum à J. H. P.

I.

**Hymnus matutinus.**

*In dieser Morgenstund will ich dich loben.  
 Metro Sapphico, sine elisionibus.*

I.

**H**oc ego Te nunc celebrabo manè  
 O Parens rerum, Moderator  
 Orbis,  
 Et mihi qvotqvot benefacta confers  
 Commemorabo.

2.

Ingredi vitam facis, & lavacro  
 Me tuo mersum, bonus inter astra  
 Collocas, qvin & tuus omne crimen  
 Filius aufert.

3.

Spiritu Sancto qvoqve muneras  
 Me, meas qvi sic regat actiones,  
 Ut tibi discam bene fidus esse,  
 Teqve vereri.

4.

Hactenus quantum satis est, paterno  
 Semper affectu, mihi das, simulqve,  
 Si qvid occurrit grave vel sinistrum,  
 Protinus arces.

5.

Proximā salvum qvoqve me tuerum  
 Nocte seruavit Chorus Angelorum,

Ut

Ut nec horrores, nova damna nec me  
Evigilarint.

6.

Gratus has clarâ, DEus alme, voce  
Effero dotes, animoqve toto  
Tot tuæ mecum tacitus revolvo  
Munera dextræ.

7.

Me, precor porrò, tuearis, omnes  
Et regas gressus hodiè, Tyrannum  
Fac & humanæ procul esse gentis,  
Sæva minantem,

8.

Vita sit veri mihi Christiani,  
Cujus exemplo, vitiis relictis,  
Sanctior siam, mala nec voluntas  
Ulla supersit.

9.

Corporis vires, Animæ salusqve,  
Liberi, Servi, Domus, & Propinqvi,  
Qvæqve mortalem faciunt beatum,  
Sint tibi cordi.

10.

Qvos in his terris Dominos supremos  
Esse vis, serva, Patriæqve pacem!  
Ut suos curis agitet solutus  
Qilibet annos.

II.

Hâc & ex voto fluat omne luce,  
Qvò tibi gratus manuum mearum  
Sit labor, lætus, Tibi præter omnes,  
Posse placere.

12.

Hora qvum mortis venerit deinde,  
Una mors Christi mea cura, faxit,  
Ipsius frctus meritis, ut intrem  
Limina cœli.

13. Tunc

13.

Tunc potest sanis comes ire membris  
 Sana mens, terras miseras relinqens,  
 In qvibus frustra peto, qvod brabæum  
 Præbet Olympus.

14.

Hoc, Pater Gnati mihi des coævi,  
 Spiritus cum qvo sine fine regnat,  
 Nec sinas tot Te precibus rogantem  
 Ferre repulsam.

## II.

## De personâ &amp; officio Christi.

*HErr Christ der einige GOTtes Sohn.*

Metro Anacreontico, & Jambico dimetro  
 brachycatalepto: dicolo.

1.

**O** CHriste, sempiterni  
 Parentis unica  
 Proles, DEIque Fili,  
 Ut sacra pagina  
 Tradit! Salutis astrum  
 Es, & magis serenum  
 Qvam cuncta sidera.

2.

Homo caroqve factus  
 In fine temporis,  
 Amabilisqve foetus  
 In ventre Virginis,  
 Ut enecando lethum,  
 Et comparando cœlum,  
 Vitam reduceres.

3.

Te nosse, teqve amare,  
 Infunde mentibus,

Fi-

Fideqve comparare  
Fac dona Spiritū!  
Gustemus ut favorum  
Dulcedinem tuorum,  
Sitim nec auferas.

4.

Creator alme rerum,  
Vis Patris entheā,  
Orbem per universum  
Regnansqve propriā  
Virtute, corda tange,  
Sensusqve sic restringe,  
Ne fortē devient.

5.

Da qvemqve pœnitentem  
A morte surgere,  
Homo vetus recentem  
Sinatqve vivere,  
Qui, donec hinc recedet,  
Heic nil amet, nec optet,  
Te præter unicum.

## III.

## Ode Pœnitentialis.

*HErr JESU Christ du höchste Gut,*

Metro ut supra Dec. I. 7.

I.

O CHriste JESU, gratiæ  
Fons, & bonum supremum!  
Pessundatum me respice,  
Doloribusqve plenum,  
Circumferentem spicula,  
Qvæ sauciant præcordia,  
Et conscient fatigant,

2. Hoc

2.

Hoc è medullis erue  
 Pondus, mei misertus,  
 Qvod sustulisti dexterè  
 Ligno crucis peremtus.  
 Cum sempiternis planctibus,  
 Et in meis criminibus,  
 Ne cogar interire.

3.

Jam si peracti temporis  
 Peccata mente volvo,  
 Saxis velut gravissimis  
 Oppressus extimesco;  
 Qvò conferam me nescius,  
 Qvin absqve verbo perditus  
 Miser tuo fuissim.

4.

Per illud autem novimus,  
 Qvod non sit imputandum  
 Mœrore succumbentibus  
 In Orbe qvod remissum.  
 Contrita porrò pectora  
 Fide repleta, gratiâ  
 Spondes tuâ foveri.

5.

Hôc ( qvod fatebar antea, )  
 Sum numero, meorum  
 Semperqve conscientiâ  
 Dum torqueor malorum,  
 Omnino vellem sanguine  
 Lotum tuo me cernere  
 Ut David & Manasses.

6.

Flexo proinde poplite  
 Te qvæso, ne querelas  
 Ejus, suæ dementiæ  
 Quem todet, esse vanas

Per.

Permiseris, sed ilicò  
Ignoſce qvæ peccavero  
Primis meis ab annis.

7.

Rerum Parens, in nomine  
Pecor tuo, repellas  
Vitanda qvæqve, turbidæ  
Mentisqve tot procellas.  
Ut cor qviescat anxium,  
Ac te colat Ter-optimum  
Timore filiali.

8.

Virtute Sancti Flaminis,  
Me vulnerum dolore  
Sana tuorum, sanguinis  
Lavaqve me liqvore,  
Et transfer ad felicium  
Æterna regna cœlitum,  
Qyando Tibi placebit.

## IV.

## Alia Ode Pœnitentialis.

*Wo soll ich fliehen hin?*

Metro ut supra Dec. I. 5.

I.

**S**Ed qvò recurrerem,  
Qui sum gravissimis  
Criminibus repletus?  
Me Mundus universus,  
Et qvicqvid est in illo  
Non posset adjuvare.

2.

O plene gratiæ,  
JESU, (qvod approbes,) Tua

Tuæ benignitatis,  
Supplex, & æquitatis,  
Malè conscius reqviro,  
Modò guttulâ beari.

3.

Infans ego tuus,  
Exspes & anxius.

Noxas meas repono  
In Te, tuisqve condo  
Vulneribus, mihiqve  
Hinc spondeo salutem.

4.

E fonte sanguinis  
Tui rosacei

Tetros lava reatus!  
In hoc tamen beatus  
Sum, qvod sciam remotos,  
Omnesqve suffocatos.

5.

Solator optime,  
Qvum me redemeris,

Peccata non redibunt,  
Defossa sed manebunt,  
Qvandoqvidem fuêre  
Semel sepulta tecum.

6.

Si fortè maxima  
Mea est malignitas,

Tuo crurore fretus  
Fio repentè latus,  
Non nesciens eandem  
Per Te mihi remissam.

7.

Qvod porrò deficit,  
Id omne sanguine

Tuo parare possum.  
Qvô subjugare lethum,

Car-

Carn  
Et DaExerc  
IpsiusQvi,  
ConsO nc  
QvôA Sa  
Et IrQvap  
O CQvar  
JamSic  
Ut,Fac  
Ut sAM  
E coNor  
Can

Carnem meam rebellem,  
Et Dæmonem licebit.

8.

Exercitus foret  
Ipsius obviam  
Vel totus: haut movebor,  
Hostes nec hos morabor,  
Qui, quum tuum cruentum  
Conspexerint, tremiscunt.

9.

O nobilis crux!  
Quoniam nil potentius.  
Perpurgat ille mundum,  
Emancipatque totum  
A Satanæ furore,  
Et Inferum barathro.

10.

Quapropter unicè,  
O Christe, adhæreo  
Tibi, tuaque factus  
Hereditate dignus,  
Quam morte comparasti,  
Jam nescio perire.

11.

Sic cor regas meum,  
Ut, Spiritus tui  
Favore, non recedam  
A Te, nec insolescam.  
Fac corporisque membrum  
Ut sim tui perenne.

12.

AMEN, quod est ita,  
E cordis intimo  
Depromo fonte. Recta  
Me semita gubernat!  
Nomen tuumque semper  
Cantare non quiescam.

V. Hym-

## V.

## Hymnus votivus.

*O Gott, du frommer Gott.*

Metro Jambico dimetro brachycatalectic  
& Anacreontico rhythmicō :  
dicolo.

## I.

**O** Numen optimum,  
Fons omnium bonorum!  
Est absqve qvō nihil,  
Princeps origo rerum!  
Concede corporis,  
Et Conscientiæ,  
Et mentis integræ  
Beatitudinem.

## 2.

Cum diligentia  
Qvæ partium mearum,  
Nec non alacriter,  
Qvod series laborum  
Reqvirit, indies  
Fac, qvæso, transigam,  
Justoqve tempore,  
Itemqye prosperè.

## 3.

Absint loqvacitas,  
Et verba dissoluta,  
Lingvamqve dirige,  
Ut non sit imparata,  
Si fortè debeo,  
Virtute muneris  
Mei, qvid eloqvī,  
Utiqve pondere.

4. Sed

4.

Sed in periculis  
 Constantiam virilem  
 Largire, strenue  
 Perferre da dolorem  
 Qvemvis, & Hostibus  
 Cunctis remittere:  
 Sint & mihi parati  
 Qui ritè consulant.

5.

Amicus omnibus,  
 Qvantumqve Christianum  
 Oportet, expeto  
 Meæ tenere cursum  
 Vitæ: Pecuniam,  
 Opes nec abnuo,  
 Qvæ non nefariis  
 Parantur artibus.

6.

Si porrò contigit,  
 Qvod mille per labores  
 Virtute conseqvar  
 Summos Senex honores,  
 Da fortitudinem,  
 Ut semper efferens  
 Impunè verticem,  
 Sim gratus omnibus.

7.

Qvum cesso vivere,  
 Fac illud esse CHristi  
 In morte: gloriâ  
 Mentem frui perenni!  
 Corpus reconditum,  
 Et ossa, molliter  
 Fac inter optimos  
 Tumbâ qviescere!

C

8. Qvum

. Sed

8.

Qvum qvisqve mortuus  
 Prodibit è sepulchro,  
 Die novissimo,  
 Tunc & mei memento,  
 Ut me resuscites,  
 Interqye gaudia  
 Æterna, transferas  
 Ad summa sidera.

9.

O alme Conditor  
 Rerum, DEIqve Fili,  
 O CHriste, Spiritus  
 Et Sancte, singulari  
 Vos laude proseqvar:  
 O Sacra Trinitas,  
 Hæc vota nuncupo,  
 Has reddo gratias!

## VI.

## Ode Consolatoria.

*Was frag ich nach der Welt.**Metro præcedente, circulari.*

I.

**N**il Mundus efficit,  
 Nil Orbis universus,  
 Qvædcunqve postulo  
 Hoc CHristus est Iesus.  
 Tu spes es unica,  
 Tu recreatio,  
 Optata tu qvies.  
 Nil Mundus efficit.

2.

Fumus levissimus  
 Est Mundus, Umbra, pulvis,

Qvæ

Qvæ cuncta transeunt :  
 JESus meus perennis ,  
 Et verè ahenëus  
 Est murus , optimâ  
 Et arce fortior.  
*Nil Mundus efficit.*

3.

Sectatur anxiè  
 Mundus novos honores ,  
 Omnid debiles :  
 Sed qvod meos labores  
 Compensat , omnibus  
 Rebusqve præfero ,  
 Est JESus unicus.  
*Nil Mundus efficit.*

4.

Mundus pecunias  
 Indesinenter optat ,  
 Opesqve congerit :  
 Thesaurus ille præstat ,  
 Quem corde condidi ,  
 Quem servo perpetim :  
 JESus videlicet.  
*Nil Mundus efficit.*

5.

Mundus retunditur  
 Rumore non secundo ,  
 Seseqve macerat ,  
 Dum , præente CHristo ,  
 Qvævis gravissima  
 Ferendo , perfruor  
 Decore maximo.  
*Nil Mundus efficit.*

6.

Mundus libidines  
 Frequenter ante cœlum

C 2

Væ-

Qvæ

Væsanus æstimat.

O gaudium pusillum!

Qui vult adhæreat

Ipsi. Sed afficit

Me cura Numinis.

Nil Mundus efficit.

7.

Nil Mundus efficit.

Celerrimè peribit,

Et porrò neminem

A morte liberabit,

Omnemque gloriam

Opesque deteret

Qvum CHristus imminet,

Nil Mundus efficit.

## VII.

### Hymnus meridianus.

Nun laßt uns GOT dem HERREN.

Metro Anacreontico: monocolo.

#### 1.

**N**unc offeramus omnes

Cum gratiis honores

DEO, qvod ex Olympo

Tot dona misit alto.

#### 2.

Cum mente, corpus, ipsam

Nobis deditque vitam,

Et damna qvæque summâ

Avertit inde curâ.

#### 3.

Victum dat ille membris,

In sanitate mentis,

Lethale sed reatus

Nostrî fucre vulnus.

4. Q

Exi  
CH  
Fon

Con  
Qvo  
In c

Ren  
Obl  
Sunt

Cust  
Prec  
Serv

Et p  
Qvò  
Om

Wa  
Met

T

4.  
*Qui factus est medela,  
 Existit ipse vita:  
 Christus, Redemptor Orbis,  
 Fons primus est Salutis.*

5.  
*Baptisma, Coena, Verbum,  
 Commune sunt asylum,  
 Qvod Spiritus fidelis  
 In corde vult reponi.*

6.  
*Peccata sunt per ipsum  
 Remissa, vita rursum  
 Oblata. Qvanta verò  
 Sunt dona? digna cœlo.*

7.  
*Nos singulos proinde  
 Custodias benignè  
 Precamur, atqve magnos  
 Serves, simulqve parvos.*

8.  
*In veritate Numen  
 Et prædicare Nomen  
 Qvò sint tuum parati  
 Omnes, amore Christi.*

## VIII.

## Gratiarum actio.

*Was Lobes sollen wir dir, ô Vater, singen?  
 Metro Phaleucio rhythmico : monocolo.*

I.

*T*ot laudes tibi debitas, qvis aptâ  
 Speraret, Pater, explicare lingvâ?

C 3

z. In

2.

In signum veteris tui favoris,  
Tu confers benefacta summa nobis.

3.

Submerso Pharäone, pane vesci  
Hebræos potuisse, tu dedisti.

4

Ut nos & doceamur inde, nulla  
Jam nobis alimenta defutura.

5.

Immanes, DEus ipse, fortiori  
Citthæos quoque brachio vibrasti.

6.

Quin fœdus simul est perenne tecum,  
Quod qvemvis memorem facit beatum.

7.

Nil verbo, Genitor, tuo verendum,  
Nec justam magis est, magisque verum.

8.

Captivos redimis benignus omnes,  
Cum prædâ meritos ferens honores.

9.

O Nomen, timor & tremor Virorum,  
Cunctorum reqvies tamen piorum!

10.

Æternas Tibi gratias vovemus,  
Quem nunquam celebrare desinemus.

## IX.

## Hymnus vespertinus.

CHRist der du bist der helle Tag.

Metro Janibico dimetro acatalecto:  
monocolo.

I.

X O CHriste, mundum illuminans,

Et

Et noctis umbras dissipans,  
Splendes Parentis sidere,  
Lucis Sacerdos inclite!

2.

Hac nocte nos custodias,  
Ne sentiamus machinas  
Nequam truces nequissimi,  
In Te, DEus, tutissimi.

3.

Sint clausa quamvis lumina,  
Aperta restent ostia  
Cordis, tuæque dexteræ  
Clementiâ nos protege.

4.

Quâ, CHriste JEsu, retrahis  
Ab inferorum Principis  
Nos fraude, nobis subdola  
Qui tendit usqve retia.

5.

Tu nos tuæ jam possides  
Hereditatis obsides,  
Tui crux gratiâ,  
Patris supremi pignora.

6.

Nobis tuum fac Angelum  
Adesse, patrimonium  
Tuum simul nos vindica  
A Dæmonis potentia.

7.

Et in tuo sic nomine  
Quiescimus, tutamine  
Sub Angelorum, maxima  
Sit Trinitati gloria.

## X.

## Ode mortualis B. Lutheri.

*Mitten Wir im Leben sind.*

Metro Trochaico dimetro catalesto, & brachycatal. Jambico dimetro a-catalesto, & hypercatal. item monometro hypercatal. & Anacreontico :  
polycolo.

Rhythmis non observatis.

## 1.

Dum sumus superstites  
Mors ubique præsens.  
Quis potest succurrere :  
Gratiam quis affert ?  
Tu, CHRISTE, solus ille !  
Pudet tamen criminibus  
Iram tuam mereri,  
Sancte Rex JEHOVA,  
Sancte præpotensque,  
Redeemtor Orbis perbenigne,  
Et sempiterne,  
Ne sinas perire  
Nos, oppetendo mortem !

*Kyrte - Eleison !*

## 2.

Illa dum nos occupat  
Os Gehenna pandit.  
Quis potest nos perditos  
Inde liberare ?  
Tu, CHRISTE, solus ille !  
Nam cor tuum calamitas  
Frangit dolore nostra :  
Sancte Rex JEHOVA,  
Sancte, præpotensque,

Re-

Redemtor Orbis perbenigne,  
Et sempiterne,  
Ne sinas barathri  
Nos opprimi timore!

*Kyrie - Eleison!*

3.

Dum ferè succumbimus,  
Instat, ecce! culpa.  
Quod licebit pergere,  
Aut ubi manere?  
Amice CHriste, tecum.  
Sangvis tuus sanctissimus  
Peccata cuncta delet.  
Sancte Rex JEHOVA,  
Sancte, præpotensque,  
Redemtor Orbis perbenigne,  
Et sempiterne,  
Ne sinas abire  
Nos à fide misellos!

*Kyrie - Eleison!*

## ORATIO DOMINICA

*Metro Elegiaco.*

**A**lme DEus, nosterque Pater, Cœliq;  
( Monarcha,  
Nostrum opus est Nomen sanctificare  
( tuum:  
Adveniat Regnumque tuum: Fiatque  
( voluntas,  
Quā spatiū terræ, nec minus astra  
( patent:

C 5

Da

Da nobis hodiè panem : Peccata re-  
(mitte,

Condonare aliis qvâ ratione decet :  
Sit procul à nobis etiam tentatio qvæ-  
(vis :

Deniq; , qvod superest, aufer & omne  
(malum !

Nam regnum, Rex summe, tuum est, tua  
(gloria, virtus,  
Et te cuncta simul secla loqventur !

A M E N.

FINIS DEC. II.

DE-

**DECAS TERTIA**  
**H Y M N O R U M**

translatorum à W. AMMONIO,  
 sed emendatorum à J. H. P.

I.

**De Decalogo**

*Diss sind die H. Zehn Geboth.*

Metro Jambico dimetro acatalesto &  
 monocalo.

1.

**H**ic sanctus est Decalogus,  
 Quem tradidit nobis DEus  
 In Sinai crepidine,  
 Servo Moise interprete.

*Kyrie - Eleison!*

2.

Solus JEHOVA sum tuus,  
 Non ponè me sit exterus,  
 Me prorsus uno nitere,  
 Et corde toto dilige.

*Kyrie - Eleison!*

3.

Immò DEI nec utere  
 Cum vanitate Nomine,  
 Et nulla facta prædica,  
 Præter DEI miracula.

*Kyrie - Eleison!*

4.

Sanctus dies sit Sabbathi,  
 Nihilque sit negotii  
 Tibi, tuisve, qvam DEO  
 Servire corde libero.

*Kyrie - Eleison!*

C 6

5. Ps.

5.  
Præstabis observantiam  
Matri Patriqve maximam,  
Illisqve sic inservias  
Ut sit tibi longævitas.

Kyrie - Eleison!

6.  
Iratus haut occidito,  
Tibi voluptas ultio  
Nec sit, sed esto commodus,  
Ipsis benignus hostibus.

Kyrie - Eleison!

7.  
Thorum tuum ne polluas,  
Sed semper adsit castitas,  
Constans pudor, modestia,  
Decensqve continentia.

Kyrie - Eleison!

8.  
Furare nec qvid: fœnora  
Iniqva nec desidera,  
Qvin liberaliter manum  
Extende turbæ pauperum.

Kyrie - Eleison!

9.  
Qvum testis es, non fallito,  
Mendacium nec spargito:  
Sis fautor innocentiae,  
Nec probra qvæqve detege.

Kyrie - Eleison!

10.  
Domum, pecus, vel Conjugem,  
Qvamcunqve rem vel utilem,  
Opes sibiqve proprias,  
A proximo non cœpetas.

Kyrie - Eleison!

11. Præ-

## II.

Præcepta sunt hæc tradita,  
Ut nostra prodant crimina:  
Et sic queamus vivere  
Coram DEO rectissimè.

*Kyrie - Eleison!*

## 12.

Hoc, CHriste, laudatissime  
Mundi Redemtor, effice!  
Nam facta nostra perdita,  
Irâque sunt dignissima.

*Kyrie - Eleison!*

## II.

## In festo Paschatos.

*JEsus CHristus unser Heyland.*

Metro Trochaico dimetro acatalesto, & brachycatalesto, item: Jambico monom. hypercat. & Anacreontico: quadricolo.

## 1.

**C**HRISTUS ad beata ductor,  
Mortis ipse victor,  
Resuscitatus  
Est, auferens reatus. *Kyrie - Eleison!*

## 2.

Natus absqve labe, diram  
Sustinens & iram,  
Resuscitatus  
Est, auferens reatus. *Kyrie - Eleison!*

## 3.

Mors, nefas, Styx, vita, cœlum,  
Cuncta stant per illum:

**C 7**

**Ab.**

Ab hoc beantur  
Hinc qvotqvot hunc seqvuntur.  
Kyrie - Eleison!

## III.

## In eodem Festo.

*Christ ist erstanden.*  
Metro Anacreontico rhythmico :  
monocolo.

**E** I.  
Morte suscitatum  
Docemur esse Christum.  
Fas ergo jubilare,  
Vult ille nos beare Kyrie - Eleison!

2.  
E morte nî redisset,  
Jam mundus interisset.  
Hic nunc resuscitatus  
Sit laude prædicatus. Kyrie - Eleison!

3.  
*Haleluja! Haleluja! Haleluja!*  
Fas ergo jubilare,  
Vult ille nos beare. Kyrie - Eleison!

## IV.

## In festo Ascensionis Domini.

*Christ fuhr gen Himmel.*  
Eodem metro.

**C** II.  
Hristus polos revisit,  
Nobis qvid inde misit?  
A Patre partum flamen,  
Ecclesiæ levamen, Kyrie - Eleison! (ter.)  
2. Ha-

2.

Haleluja! Haleluja! Haleluja!  
 Fas ergo jubilare,  
 Vult ille nos beare. Kyrie - Eleison!

V.

## Ad Spiritum Sanctum.

Nun bitten wir den H. Geist.

Metro Jambico dimetro acatalesto, &  
 monometro hypercatalesto:  
 dicolo.

III.

SAnctum rogamus Spiritum,  
 Veram fidem det in DEum.  
 Servetque ritè  
 In fine vitæ  
 Nos exulantes  
 Et hinc migrantes: Kyrie - Eleison!

2.

Lux alma, nos illumina,  
 JEsumque solum prædica,  
 Adhæreamus  
 Ipsi, hoc eamus  
 Et ad paternas  
 Ductore terras: Kyrie - Eleison!

3.

Nobis, Amor dulcissime,  
 Amoris ignem suggere,  
 Totoque corde  
 Fac nos amare,  
 Pacem seqventes  
 Et excolentes: Kyrie - Eleison!

4.

Qui summus es Paraclitus;  
 Da ferre mortis impetus,

Ne

Ne viva mentis  
Vis cœlet, Hostis  
Qvum vult peractam  
Damnare vitam. Kyrie - Eleison!

## VI.

## In festo S. S. Trinitatis.

*Gott der Vater wohn uns bey.*

Metro Trochaico dimetro catalesto, &  
Anacreontico : dicolo.

## 1.

P Ræstò sis, Pater DEus !  
Nec nos sinas perire  
Liberos criminibus :  
Pièqve fac obire !  
Protegas à Satana :  
Nos in fide tuêre :  
In Teqve des locare  
Spem : Corde toto stare !  
Universâ cum piâ  
Cohorte Te seqvamur :  
Ab hoste retrahamur :  
Armis DEI tegamur !  
AMEN, AMEN, est ita :  
Et psallimus Haleluja.

## 2.

Præstò sis, Fili DEus !  
Nec nos sinas perire, &c.

## 3.

Tuqve Sancte Spiritus !  
Nec nos sinas perire. &c.

## VII. Gra-

## VII.

## Gratiarum Actio

pro Sacramento Eucharistiae.

*GOTT sey gelobet, und gebenedeyet.*

Metro Trochaico dimetro brachycatalecto, &amp; acatalectic: dicolo.

1.

**J**Am DEum beemus,  
**L**aude prædicemus,  
**I**pse qui suâ benignè  
**C**arne nos cibavit,  
**E**t cruore pavit:  
**O**mnium faxit salute.

*Kyrie - Eleison!*  
**C**Hriste, per corpus sacramum,  
**E**x Mariâ matre natum,  
**P**er sacrum cruorem,  
**T**olle sis laborem. *Kyrie - Eleison!*

2.

**C**orpus hoc necari  
**D**ebeuit, parari  
**P**osset hâc ut morte vita.  
**D**ignius nec ullum  
**Q**vivit esse donum  
**M**ente qvod servetur altâ.  
*Kyrie - Eleison!*  
**T**estis est amoris iste  
**S**angvis, ô dilecte CHriste,  
**Q**vô sumus redempti,  
**N**uminiqve grati. *Kyrie - Eleison!*

3.

**E**rgo singularem  
**D**et DEus favorem,  
**E**Jesus ut viis feramur,

In-

Inqve charitate,  
Et fidelitate,  
Hôc piè cibô fruamur.  
*Kyrie - Eleison!*  
Spiritum tuum nec alme  
Auferas Parens, amicæ  
Sitqve Christianis  
Nexus unionis. *Kyrie - Eleison!*

## VIII.

## Oratio Dominica.

Sey Lob und Ehr mit hohem Preys.  
Metro Jambico dimetro acatalecto, &  
Anacreontico : dicolo.

## I.

**S**it summa laus summo DEO  
Hâc pro benignitate,  
Gnato, Patri, Paraclito !  
Succedat hinc beatè  
Cœptum qvod est nobis opus,  
Ad gloriæ suæ decus !  
Ejus celébre Nomen :

## 2.

Regnum propinqvet : Qvod volet  
Cœlo soloqve cedat :  
Panes diurnos usqve det :  
Ac debitum remittat ,  
Perinde debitoribus  
Ut nos : Sed à conflictibus ,  
Malisqve solvat ! AMEN.

## IX. In

## IX.

## In rebus angustis.

*Wan wir in höchsten Nöthen seyn.*

J. H. PAULLI *Interpretē.*

Metro Jambico dimetro acatalesto :  
*monocolo.*

**C**ircumdatos angoribus  
Qvandoqvidem nos cernimus,  
Nec scimus unde gentium  
Habebimus solatium.

2.

Qvod restat, ad te, mentibus  
Junctis, preces effundimus,  
Ut tu, DEus fortissime,  
Nos adjuves promtissimè.

3.

Verāqve pœnitentiā  
Cum corde sursum lumina  
Attollimus, ne punias  
Nos, sed patrata dereas.

4.

Hoc est, qvod invocantibus  
Te, polliceris omnibus,  
Qvi nempe, CHristi nomine  
Audent, qvod optant, poscere.

5.

Hinc ante Te procumbimus,  
Et maximas ostendimus  
Calamitates, plurimis  
Expositi periculis.

6.

Porrò precantes, crimina  
Non imputes gravissima,

Sed.

Sed à malo nos supplices  
Poenisqve cunctis liberes.

7.

Ut gratias lœtissimi  
Agamus, addictissimi  
Verbo tuo, per omnia  
Laudemus & Te secula.

## X.

## Ode Consolatoria.

*Nicht so traurig, nicht so sehr. &c.*

J. H. PAULLI *Interprete.*

Metro Sapphico, *sine elisionibus.*

Ἄγαθος Φρεγεστικῶς.

1.

Cur amas tantum, mea mens, dolere,  
Qyod DEus sortem dedit ampliorem,  
Et gradus summos aliis, opesqve,  
Nil tibi qvicqvam?

2.

An DEO niti satis esse nescis?  
Non erit, qvod te magis adjuvabit.  
Competit nobis nihil universum  
Juris in Orbem.

3.

Civis hæc omnis novus est, & hospes:  
Ædium si qvis Dominus suarum,  
Est DEus, qui, qvod volet, hūic & illi  
Datqve dicatqve,

4.

Non es in terrâ, tibi gleba terræ  
Ut bonum fiat proprium. Juberis  
Ire plus ultra, potiusqve sursum  
Tollere vultus.

s. Cca

5.

Ceteris præstans ibi splendet aurum,  
 Et perennantes ibi sunt honores,  
 Sunt voluptates, ibi nec beatis  
 Invidet ullus.

6.

Esset insanus, fore qvi maniplum  
 Gloriæ fictæ melius putaret  
 A DEO dandis opibus, nec unquam  
 Interituris,

7.

Qui potest nummos cumulare centum,  
 Non repugnanter tribuit quadrantem.  
 Interim, si vis, bona qvæ vocantur  
 Respice cuncta.

8.

Nil adest qvod te, paribus seqvatur  
 Passibus, mundo subito remotum,  
 Conditus tristi tumulo relinques  
 Omnia post te.

9.

Sed qvod ætatem feret, atqve transit  
 Temporum casus, animamqve nutrit,  
 Sangvis est C<sup>H</sup>risti, Dominique dextra  
 Omnipotentis.

10.

Hoc bonum firmum manet atqve fixum,  
 Nec, velut terræ bona, dissipatur,  
 Integrum sanctis animis sed affert  
 Sponte salutem.

11.

Cœcus es, qvi non Oculos, sagaci  
 Mente, nec tantum decus intueris.  
 Ecce, qvam digno patuere dono  
 Lumina frontis!

12.

Calculum membris digitisqve pone  
 Siq;

Singulis, qvæso : mihi dic deinde,  
Num qvod illorum mutilum, vel auro  
Vendere yelles ?

13.

Intimos ergo resera recessus  
Cordis, ut veram docearis artem  
Nosse qvot fructus capias ab alto  
Qyâlibet horâ.

14.

Qvi maris qvanqvam superent arenam,  
Nesciunt unqvm saturare pectus  
Turgidum, qvô tu nimis impudenter  
Plura reqviris.

15.

Namqye si sciret tibi profuturum  
Siderum Rector, precibus qvod imis  
Flagitas, certe bonitate summâ  
Promtus adesset.

16.

Ille sincerum tibi fert amorem,  
Et pari pendens tua vota lance,  
Ex iis, qvæ sunt bona, dat, nociva  
Denegat Idem.

17.

Dum dapes tecum struit Angelorum  
Spiritus Sanctus, bene te politum  
Pro suâ servans potiore parte,  
Qvò nihil absit.

18

Tolle nunc curis, agedum, rejectis  
Verticem, mœstos gemitusque pelie,  
Ac reluentem fidei probatae  
Lampada sume

19.

Ejus & flamas adhibe tenébris  
Lætus obscuris gravium dolorum.

Sed

Sed tuo, Cœlo duce, Velle certam  
Præcipe metam.

20.

Instar acceptæ citharæ , perennes  
Admove grates solio Supremi ,  
Unde jam multò magis es potitus  
Qvām meruisti,

21.

Qvamdiu vives , memor esto semper  
Numinis, ceu qvod tibi cuncta donat.  
Siqve qvid perdis, DEus atqve Cœlum  
Cuncta reponent.

---

FINIS DEC. III.

---

DE-

Sed

**DECAS QVARTA  
HYMNORUM**

Sive

**Psalmorum Davidis,**

*translatorum à G. BUCH. & W. AMMON.*

*sed emendatorum à J. H. P.*

*ut cani possint.*

I.

**Psalmus V.**

*HErr hör was ich will bitten Dich.*

**G. BUCHANANO Interpret.**

*Metro Sapphico, sine elisionibus.*

X **O** Potens rerum DEus, aure leni  
Mitis exaudi mea verba mentis,  
Mente nec durâ, facilisqve tristes  
Percipe questus.

2.

Pondera tecum, mihi qvanta tendat  
Vox latus: quando mihi Rex DEusqve  
Solus es, solum veneror precorqve  
Rebus in arctis.

3.

Manè clamantem DEus æquus audi!  
Nam tuum, castâ prece, non inanem  
Spem foyens, Nomen venerabor ante  
Luminis ortum.

4.

Tu DEus, verâ pietate lætus,  
Impii ritûs scelus execraris:

Te

Te frui nec mens studiosa pravi  
Speret amico.

5.

Nec tuam cernent faciem Superbi :  
Respus fraudum cupidosqve coedis ,  
Qvæqve consveyit simulare, lingvam ,  
Falsa, recides.

6.

Sed tuâ fretus bonitate , sacrum  
Limen, & templum visitare pergam ,  
Et colam semper tua sancta justis  
Numina votis.

7.

Ut tamen casses fugiam dolosos  
Hostium, præfer, DEus æqvitatis  
Dux, mihi lumen, dubioqve cœcos  
Dirige gressus.

8.

Hostium verum fugit ora , pectus  
Incolit fraus, spurciciesqye, guttur  
Tetrico par est, qvod hiat recludens  
Funera, busto.

9.

Lingva blandiri tacito veneno  
Novit, & cœcos meditatur ictus ,  
O DEus, rerum Pater alme, gentem  
Perde nefandam!

10.

Perde conatus etiam malignos ,  
Quiqve te linqvunt, scelerum suorum  
Sentiant pœnas meritas, ab imâ  
Stirpe revulsi.

11.

Gaudeant omnes remanere tectum  
Qui student, & spem posuere certam  
Te sibi, finem faciant nec unqvm  
Te celebrandi.

D

12. Nalle.

M

ION.

en  
tis,

13.

e  
sqve

is.

!

m

ate

Te



Namque tu rectos, animiqve puros,  
Recreas multis opibus benignus,  
Et tui ( tanquam clypeo ) favoris  
Protegis umbrâ.

## II.

**Contra falsos Doctores.**  
**Psalmus XII.**

*Ach Gott vom Himmel sieh darein.*

W. AMMON. *Interprete.*

**Metro Jambico dimetro acatalesto &**  
**Anacreontico: dicolo.**

## 1.

**D**eus Supreme, respice,  
Horum miserte morum?  
Quam parvus est Ecclesiæ  
Coetus miser piorum?  
Non veritas permittitur,  
Verbi fides extinguitur  
Mortalium quibusque.

## 2.

Fistas docent fallacias,  
Inventa vana mentis:  
Non cordis heic est unitas  
Verbum DEI tenentis.  
Hoc unus, illud disputat  
Alter, modò nos dividat.  
Falso nitent colore.

## 3.

Disperdat hæreses Deus  
Mendacium docentum,  
Et, quis vetet? procacibus  
Linguis subobstrepentum!

Ju

Jus fasque nobis competit  
Ajunt, nihil nos impedit,  
Nec novimus Magistrum.

4.

Contrà DEus: Non perferam,  
Nam pauperes premuntur.  
Planctus eorum exaudiam,  
Aures nec obstruentur.  
Verbum meum pugnaculum  
Salutis est fortissimum,  
Et viva vis egentum.

5.

Probatur igne septies  
Argenteum metallum,  
Verbum DEI sic senties  
Purissimum futurum.  
Crucis probatur ictibus,  
Et intimis doloribus,  
Terrâque fulget omni.

6.

Hoc, Tu DEus, sic asseras  
A gente perduelli,  
Et nos tuos sic dirigas,  
Ne misceamur illi!  
Profana turba pessimos  
Hos qværit adversarios  
Gentem tuam prementes.

## III.

## De Virtutibus Christianis.

## Psalms XV.

*Her wer wird in der Hütten dein.*

W. AMMON. *Interprete.*  
Metro præcedenti.

**Q**Vis incolet tuum, DEus,

D 2

Tens.

Tentorum beatum :  
 Et qvem repones altius  
     Montem super sacratum ?  
 Qui labe purus ambulat ,  
 Tenaxqve recti cogitat  
     In corde veritatem.

2.  
 Cui lingva non est futilis ,  
     Qui proximo nocere  
 Non qværit , aut calumniis  
     Infamiam ciere :  
 Et reprobum qui despicit ,  
 DEum timentes suspicit ,  
     Colitqve diligenter.

3.  
 Qui porrò vera proximo  
     Jurat , fidemqve præstat ,  
 Cui fœnus & corruptio  
     Contra bonos nec obstat .  
 Qui fecit ista , degere  
     In monte sancto , & vivere  
     Potest in ævitatem.

## IV.

## Psalmus XXIII.

*Was kan uns kommen an für Notk.*

J. H. PAULLI *Interprete.*

Eodem metro.

## I.

QVæ nos qveunt discrimina  
     Perterritos movere ,  
 Si Dux DEus per omnia  
     Pastorqve vult manere ,  
 Cibisqve nos cœlestibus .

**Undâqve Sancti Spiritus;**  
Corroborare gaudet?

2.

**Amore sancti Nominis**  
Nos dicit ad virentem  
**Saltum,** nimisqve langvidis  
Affert salubritatem.

**Id omne qvum revolvimus,**  
**Mortem vel ipsam temnimus,**  
Nam nostra spes es una.

3.

**Pedo suo redarguit,**  
Solatur, & tuetur  
**Hic Pastor,** atqve prospicit  
Ne prorsus obruamur,  
Gravi crucis sub pondere,  
Qvod provocatur crimine,  
Qvum respicit gementes.

4.

**Nobis dedisti ferculis**  
Mensam sacris repletam,  
**Verbo beati Numinis**  
In corde præparatam.  
Qvam mente totâ poscimus,  
Qvum nos malignus Spiritus  
Obtundit atqve torqvet.

5.

**Fruitus tuæ Clementiæ**  
Superfluè redundant  
Omnes, DEus sanctissime,  
In nos, & usqve durant,  
Ut per fidem. qvum deniqve  
Hinc avocemur, incolæ  
Cœli simus supremi.

6.

**JESU, rogamus, adjuva**  
Ut illud asseqvamur,

D 3

Et

Et Spiritūs potentia  
Visu Patris fruamur !  
Hoc omnibus concedito  
E corde qvotqvt intimo  
Amant AMEN precari.

## V.

In rebus angustis.

## Psalmus XLII.

*Wie nach einer Wasserquelle.*J. H. PAULLI *Interprete.*Metro Trochaico dimetro acatalesto  
& catalesto : *dicolo.*

## 1.

**M**Ore Cervi, qvi strepentis  
Qværerit undæ rivulum,  
Ip̄lus altâ voce mentis  
Clamo. Nam viventium  
Te DEum desidero,  
Nec sitire desino.  
Qvando Te demum videbo ?  
Qvando Te frui valebo ?

## 2.

Indies, itemqve totâ  
Nocte, victus lacrumæ  
Sunt meus, sed efferata  
Qvando gens me qværere  
Pergit: Heus! ubi tuus  
Qvælo te, nunc est DEus?  
Cordis ima commoventur,  
Hoc & uno recreantur:

## 3.

Qvod licebit ambulare  
Cum piorum cœtibus,

Et

Et manus meas levare,  
Atque festis plausibus  
In DEI sanctissimum  
Ingressi sacrarium.

Hic scopus mihi manebit,  
Præque ceteris placebit.

4.

Aegra mens, cur me dolore  
Continenter maceras?  
Linqve curas, & repone  
In DEO spes anxias.  
Hunc adhuc ingentibus  
Gratiis & laudibus  
Proseqvar, qvod me vocantem  
Respicit, juvat jacentem.

5.

O DEus! quantâ labore  
Mentis ægritudine?  
Ergo Te supplex adoro,  
Inqve solitudine  
Deviorum montium,  
Hermonisque saltuum,  
Littus & Jordanis ultra,  
Semper ad Te mitto vota.

6

Fluctuum vortex tuorum  
Hinc & hinc circumstrepit,  
Et susurrus alveorum  
Horridus me perculit.  
Sed DEus qvod optimus  
Dat diebus omnibus,  
Nocte serâ prædicabo.  
Hunc Ducem vitæ citabo,

7.

Atque dicam: Cur relinquis  
Me DEus, fortissima  
Petrica qvum tu sis Salutis?

D 4

Ho-

Et

Hostium ludibria  
Cur, & istam perferam  
Indies ferociam,  
Quod rogent me turbulentum,  
Hoc quid est: DEus ne tecum?

8.

Ægra mens, cur me dolore  
Continenter maceras?  
Linqve curas, & repone  
In DEO spes anxias.  
Hunc sonabo cantibus,  
Efferamque laudibus  
Sempiternis, intuentem  
Me, DEumque se fatentem.

## VI.

## Carmen triumphale LUTHERI.

## Psalmus XLVI.

W. AMMON. *Interprete.*

Metro Jambico dimetro acatalepto, Ana-  
creontico, & monometro superca-  
talepto: *tricolo.*

1.

A Rx firma noster est DEus,  
Defensioque fortis,  
E tribulationibus  
Nos liberans subortis:  
Dum nos acerbâ  
Oppugnat irâ  
Antiquus hostis,  
In hisce terris  
Quem fraude nullus æqvat.

2.

Quid qværimus resistere?  
Statim fuisset actum:

Sed

Sed posse scimus vincere  
 Virum DEO profectum.  
 Vis Nomen ejus §  
 Is est Iēsus  
 C<sup>H</sup>ristus, sed unus,  
 D<sup>E</sup>usq<sup>ue</sup> verus,  
 Victoriam reportans.

3.

Sit plenus Orbis Dæmonum  
 Qui nos vorare vellent,  
 Nihil timemus, plurimū  
 Q<sup>uam</sup>vis nocere tentent.  
 Dux Orbis ille  
 Turbet, frematq<sup>ue</sup>,  
 Est alligatus,  
 Et judicatus.  
 Vel verbulo peribit.

4.

Verbum DEI ne funditū  
 Tollatur, ipfus ecce  
 Præsens adest, fidelibus  
 Dans dona Spiritumq<sup>ue</sup>.  
 Dematur omne,  
 Corpus, domusq<sup>ue</sup>,  
 Cum prole carā  
 Conjux amica,  
 Regnum DEI manebit.

## VII.

## Psalmus LXVII.

*Es wolt Uns Gott genädig seyn.*

J. H. PAULLI Interpretē.

Metro Jambico dimetro acatalectic, &  
 Anacreontico: dicolo.

I.

N<sup>O</sup>bis benignus sit D<sup>E</sup>us,

D s.

S<sup>I</sup>l.

Sed

Suumque det favorem !  
 Nam vultus ejus splendidus  
 Poli refert nitorem.  
 Hinc ejus acta cernimus,  
 Et quæ juvare possunt  
 Aperta fiunt gentibus,  
 JESUM deinde noscunt,  
 DEOque congregantur.

2.

Habebis ergo gratias  
 Ab Ethnicis ubique,  
 Reddetque laudes maximas,  
 Tibi, Deus supreme,  
 Jam totus Orbis, afferens :  
 Qvod Rector Universti,  
 Peccata nostra cohicens  
 Voce Verbi sacrati,  
 Nos non sines perire.

3.

Sit laus Tibi, sit gloria,  
 Plebs læta jubiletque !  
 Annona fit pulcherrima,  
 Ferax tuumque valde  
 Verbum. Parens sanctissime,  
 Cum Filioque, Flamen,  
 Nosmet tueri pergit!  
 Fidelium caterva  
 Omnisque dicat AMEN.

## VIII.

## Psalmus CIII.

*Nun lob meine Seele den HERREU.*

G. BUCHAN. Interprete.

Metro Sapphico, sine elisionibus.

**S**it Parens rerum mihi carmen. Illum  
In-

Intimis fibris animoqve quantus  
Est vigor, laudet, colat, & sacratum  
Nomen honoret.

2.

Mens DEO laudes cane, redde grates  
Mens DEO : nullis benefacta seclis.  
Excidant, & qvæ tribuit benignâ  
Munera dextrâs.

3.

Qui tuum tollit scelus, atqve cunctos  
Sanat angores, reparatqve vires,  
Et breves, vitæ properante fato,  
Prorogat annos.

4.

Pluribus nec non opibus coronat  
Ore qvàm poscas, tacitè vel optes,  
Et tuam qvi vult Aqvilæ renasci  
More senectam.

5.

Integer Judex, scelerumqve vindex :  
Tradidit sancto sua jura Mosi,  
Isaci prolem docuit piarum  
Dogmata legum.

6.

Lenis & blandus, bonitate summâ,  
Tardus irasci ; neqve sempiternæ  
Sævit offensæ memor, aut perennes  
Ardet in iras.

7.

Sumit aut pœnas, repetitve. Mira  
Æqvitas ejus, magis & redundat  
In pios, mundi globus ac remoto  
Distat Olympos.

8.

Qvàm procul, terris oriens Eōis,  
Gaditano Sol abiit cubili,

D 6

Tam

In  
lum  
In

Tam procul nostri maculas removit  
Criminis à Se.

9.  
Qualis in natos amor est Parentis,  
Est favor talis Domini benigni,  
Ipsius si qvis pietate verâ  
Numen adorat.

10.  
Tu sinus mentis penitus repostos,  
Tu, Pater, nosti penetrare cordis:  
Quippe nos terræ memor è rubenti  
Pulvere factos.

11.  
Herba ceu crescit, pueri yenuſtas  
Sic & extentis adolescit annis,  
Donec ut fœnum cadat arefactum,  
Jam moribundus.

12.  
Instar aut floris Tyrii coloris,  
Fortè qvi cœlo modicè sereno  
Ridet, afflatu tepidi repente  
Concidit Austris.

13.  
Sed DEI constans bonitas per omnem  
Durat ætatem, manet hinc piorum  
Omnium, semper stabilis, propago  
Sera nepotum.

14.  
Dummodò nunquam violârit icti  
Fœderis leges, memoriqve jussa  
Mente servârit, referatqve vitâ  
Puriter actâ.

15.  
Ille flammantis super astra cœli  
Non peritum solium locavit,  
Et suo nutu Deus universum  
Temperat Orbem.

16. An-

16.

Angeli, fortes Domini Ministri,  
 Cuncta cogendi qvibus est potestas  
 Sub jugum, summo Domino DEOqve  
 Pangite laudes.

17.

Qviqve castrorum Comites meretis  
 Jugiter, tanti Ducas audientes  
 Sedulò dictis, Domino DEoqve  
 Pangite laudes.

18.

Qvæqve per vastos ubicunqve fines  
 Imperi pollens opifex creavit,  
 Maximo plausu, Domino DEoqve  
 Pangite laudes.

19.

Mens, DEo demùm qvoqve pange laudes,  
 Debitas grates referens : & imis  
 Qvisqvis est fibris vigor ejus ingens  
 Nomen honoret.

## IX.

## Psalmus CXXIV.

*Wär GOTT nicht mit uns diese Zeit.*

J. H. PAULLI *Interprete.*

Metro Jambico dimetro acatalepto, &  
 Anacreontico : *dicolo.*

Nisi DEus persisteret,  
 Dicat Genus Jacobi,  
 Nisi malos pessundaret,  
 Essemus, heu ! relisti.  
 In hâc catervâ parvulâ,  
 Interqve tot ludibria  
 Succumberemus omnes.

D 7

2. Ex

3.

Exarsit iracundia  
 In nos furens eorum,  
 Ut, nî DEI Clementia  
 Obex foret malorum,  
 Nos, si liceret, credulos  
 Absorbuissent integros,  
 Ut fluctuum vorago,

3.

Grates DEO, qvòd cassibus  
 Ut ales irretita,  
 Sic nostra mens ab hostibus  
 Sit hisce liberata:  
 Nil restat ergo, vinculis  
 Ruptis, asylo Nominis  
 Qvàm nos sui tueri.

## X.

## Psalmus CXXX.

Pœnitentialis.

*Aus tieffer Notb.*J. H. PAULLI *Interprete.*

Metro præcedenti.

## I.

**A** Udi profundo pectore  
 Me te, DEus, vocantem,  
 Et supplici nunc admove  
 Tuam benignus aurem!  
 Nam, facta si nefaria  
 Punire gestis omnia,  
 Qvis innocens manebit?

## 2.

Sed mos tuus, remittere  
 Noxas favore summo;

Qvcis

Qveis se carere , dicere  
 Ausit profectò nemo :  
 Omnes , ubiqve gentium ,  
 Et qvicqvid est mortalium ,  
 Ut te timere discant.

3.

In te , DEus , reposui  
 Nam spem meæ Salutis ,  
 Et mente necdum perdidi  
 Præstare qvæ teneris ,  
 Verbi tui sanctissimi ,  
 Et interire nescii ,  
 Fido cui , vigore .

4.

Non est Vigil , plus anxiè  
 Desiderans serenum  
 Jubat diei cernere ,  
 Lætumqve Solis ortum ;  
 Qvam Te , meum solatium ,  
 Memor tuorum fœderum ,  
 Anhelo corde toto .

5.

Sit nox diesve , spiritum  
 Tamen redintegrare  
 Volo : tuam sic in DEum  
 O Israël locare  
 Spem perge . Tanto vindice ,  
 Solutus omni crimine ,  
 Et neutiqvam peribis .

FINIS DEC. IV.

DE-

**DECAS QVINTA**  
**H Y M N O R U M**  
*Variorum Auctorum.*

Cum aliis emendationibus  
 J. H. PAULLI, & G. GALLI.

## I.

**In Adventu Domini.**

*Nun komm der Heyden Heyland,*

D. AMBROSH.

Metro ut supra *Dec. I. 2.*

sed Rhythmis confusis.

**V**eni Redemtor gentium,  
 Ostende partum Virginis,  
 Miretur omne seculum,  
 Talis decet partus DEum.

## 2.

Non ex virili semine,  
 Sed mystico spiramine,  
 Verbum DEI factum est caro,  
 Fructusque ventris floruit.

## 3.

Alvus tumescens Virginis  
 Clastrum pudoris permanet,  
 Vexilla virtutum micant,  
 Versatur in templo DEus.

## 4.

Procedit è thalamo suo,  
 Pudoris aula regia,  
 Geminæ Gigas substantiæ,  
 Ut currat illustrem viam.

S. E.

5.

Egressus ejus à Patre,  
 Regressus ejus ad Patrem,  
 Excursus usqve ad inferos,  
 Recursus ad sedem DEI.

6.

Æqvalis æterno Patri,  
 Carnis tropæo accingere,  
 Infirma nostri corporis  
 Virtute firmans perpetim.

7.

Præsepium fulget tuum,  
 Lumenqve nox spirat novum,  
 Qvod nulla nox interpolet,  
 Fideqve jugi luceat.

8.

DEO Patri sit gloria,  
 Ejusqve soli Filio,  
 Cum Spiritu paraclito,  
 Et nunc, & in perpetuum.

## II.

## Idem Hymnus

Emendat. à J.H.P.

Metro Anacreontico : monocolo.  
 rhythmis non observatis.

**N**unc gentium Redemptor  
 E ventre Virginali  
 Procede, cuius omnis  
 Partu stupescit Orbis!

2.

Nil heic virile semen,  
 Sed Spiritus peregit

U

Ut possit esse VERBUM  
Homo , ferens Salutem.

3.  
Concepit ecce sanctâ  
In castitate Virgo ,  
Præsens ubi Majestas  
Erat , DEIqve Virtus.

4.  
Ut Rex throno , puellæ  
Sic fortis ille claustro ,  
Homo DEusqve verus ,  
Herois instar exit.

5.  
Qui dirigendo cursum ,  
A Patre venit , atqve  
Ab Inferis ad ipsum ,  
Cœlosqve commeavit.

6.  
O par tuo Parenti !  
Victoriam reporta  
In carne , nos caducos  
Et perge sustinere.

7.  
Sed dum tuum resplendet  
Præsepium , novumqve  
Nox ipsa lumen affert ,  
Fides perire nescit.

8.  
Patri sit atqve Gnato ,  
Et Flaminis , perennis  
Laus , qvæ per omne seclum ,  
Et omne duret ævum.

## III.

## In Nativitate Christi.

*Vom Himmel kam der Engel Schaar.*

G. GALLI *Interprete,*

*emendat. à J. H. P.*

Metro Trochaico dimetro acata-  
lecto : monocolo & rhythmico.

**C**œlitùs Phalanx sacrata <sup>1.</sup>

Ad Bubulcos verba grata  
Pertulit , de blandicello  
Et recens nato puello.

2.

In Davidis civitate ,  
Ceu Michas prædixit ante ,  
CHristus , omnium Redemtor ,  
Omnium rerum Creator ,

3.

Natus est . Hinc jubilate ,  
Hâc DEI benignitate :  
Vestra , pro salute vestrâ ,  
Induit qvòd ille membra.

4.

Crimen aut mors qvid nocebit ,  
Si penes vos permanebit ?  
Spumet iras Orcus ater ,  
Vester est JEHOVA Frater.

5.

Is potest & vult tueri  
Vos , simul patrocinari :  
Ingruant pericla mille ,  
Cuncta pellet Unus ille .

6. Id

6.

Id piè tandem scietis,  
 Nunc DEI GENUS qvod estis.  
 Ergo vos præbete gratos,  
 Qvòd facit Vos tam beatos.

## IV.

## In eodem FESTO.

*CHristum wir sollen loben schon.*

**COELII SEDULII Presbyt.**

Metro ut supra Dec. I. 2.

sed Rhythmis invicem permixtis,  
 & qvantitatibus neglectis.

**A** 1. Solis ortūs cardine  
 Ad usqve terræ limitem  
**CHRISTUM** canamus Principem,  
 Natum MARIA Virgine.

2.

*Beatus* auctor seculi  
 Servile corpus induit,  
 Ut carne carnem liberans  
 Non perderet qvos condidit.

3.

*Castæ Parentis viscera*  
 Cœlestis intrat gratia,  
 Venter Puellæ bajulat  
 Secreta qvæ non noverat.

4.

*Domus* pudici pectoris  
 Templum repentè fit DEI,  
 Intacta, nesciens Virum,  
 Verbo concepit filium.

*S. EMI.*

5.

*Enixa mox Puerpera  
Qvem Gabriel prædixerat,  
Qvem matris alvo gestiens  
Clausus Johannes senserat.*

6.

*Fæno jacere pertulit,  
Præsepe non abhorruit,  
Parvoqve lacte pastus est,  
Per qvem nec ales esurit.*

7.

*Gaudet chorus cœlestium,  
Et Angeli canunt DEO,  
Palamqve fit Pastoribus  
Pastor, Creator omnium.*

8.

*Summo Parenti gloria,  
Natoqve laus qvam maxima,  
Cum Sancto sit Spiramine,  
Nunc & per omne seculum.*

## V.

## Idem Hymnus

G. GALLI *Interprete, emendat. à J. H. P.*

Eodem metro,  
sed rhythmis ordine dispositis.

**Q**uà Sol recludit cardinem  
Ad usqve terræ limitem  
Natum MARIA Principem  
CHRISTUM canamus invicem.

2.

Beatus auctor seculi  
Suscepit artus Seryuli,

Ut

Ut carne carnem liberet,  
Nec qvos creavit perderet.

3.

**C**aſtæ Parentis viſcera  
Cœleſtis intrat gratia,  
Venter Puellæ bajulat,  
Sed viſ virilis exulat.

4.

Domus pudici pectoris  
Summi fit ædes Numinis,  
Verboqve, nesciens Virum,  
Concepit illa filium.

5.

Mox edidit Puerpera,  
Prognata stirpe Regiâ,  
Qvem Gabriel prædixerat,  
Et qvem Johannes fenserat.

6.

Fœno jacere pertulit,  
Præſepe non abhorruit,  
Parvoqve lac̄te ſubtitit,  
Per qvem nec ales eſurit.

7.

Cœleſtium gaudent choi,  
Canunt Ministri flammei:  
Palamqve fit Pastoribus,  
Pastor Creator maximus.

8.

Summo Parenti gloria,  
Natoqve laus amplissima,  
Sanctoqve fit Spiramini,  
Devotione perpeti.


VI. Ad

## VI.

## Ad Spiritum Sanctum.

E. H.

Métro Phaleucio,

*Cum Cæsuri promiscuis & rarioribus.*

**V**Eni maxime Spiritus, tuorum  
Reple corda fidelium, tuique  
Accendas in eis amoris ignem,  
Qui gentes fidei sub unitatem,  
Per discrimina multa lingüarum,  
Solator Paraclete, congregasti!  
Quem nunc mittere Spiritum per Orbem  
Dignaris, Fater, omnia innovabit.

O qui corda fidelium, benigni  
Flatus numine, doctiora reddis,  
Da nobis age, Spiritu ex eodem  
Et rectum sapere, & freqventer ejus  
Consolamine vivere & valere!  
Per CHristum Dominum DEumque  
nostrum.

## VII.

## Idem Hymnus

*emendatus à J. H. P.*

Metro præcedente, monocolo.

(Cæsuram)

*Sed trithemimerin habet priorem,*  
*ut cani possit, velut suprà Déc. II. 8.*



**V**Eni sis, bone Spiritus, tuorum  
Fideles animas reple, tuique

Ac-

Ad

Accendas in eis amoris ignem,  
 Qui gentes fidei sub unitatem,  
 Per lingvas varias, viâ stupendâ,  
 Solator Paraclete, congregasti !  
 Hunc Sanctum modò Spiritum per  
 Orbem  
 Mittendo, Pater, omnia innovabis.  
**O** Flatûs ope, qui tuos, benigni,  
 Fideles cupis esse doctiores,  
 Da nobis age, Spiritu ex eodem  
 Perfectè sapere, ipsiusque semper  
 Ad normam bene vivere & valere !  
 Per CHristum Dominum, DEumque  
 nostrum.

## VIII.

## In festo Pentecostes.

*Komm GOTT Schöpfer H. Geist.*

## INCERTI.

Metro Jambico dimetro acatalesto :  
 monocolo.

Rhythmis confusis,  
 & neglectis quantitatibus.

**V**eni Creator Spiritus,  
 Mentes tuorum visita,  
 Imple supernâ gratiâ  
 Quæ tu creasti pectora !

2.

Qui Paracletus diceris,  
 Donum DEI ditissimum,  
 Fons vivus, ignis, charitas,  
 Et spiritalis iunctio.

3. Tu

3.

Tu septiformis munere,  
 Dextræ DEI tu digitus,  
 Summiqve promisum Patris,  
 Sermone ditans guttura.

4.

Accende lumen sensibus, X  
 Infunde amorem cordibus,  
 Infirma nostri corporis  
 Virtute firmans p̄petim.

5.

Hostem repellens longius  
 Pacemqve donans protinus!  
 Ductore sic te p̄ævio,  
 Vitemus om̄ne noxiū.

6.

Per te sciāmus, da, Patrem.  
 Noscamus atqve Filium,  
 Teqve utriusqve Spiritum  
 Credamus omni tempore.

7.

Sit laus Patri, cum Filio,  
 Et Spiritu pari DEO,  
 Nobisqve mittat Filiis  
 Charifima Sancti Spiritus!

## IX.

## Idem Hymnus.

G. GALLI Interprete,  
 emendat. à J. H. P.

Metro Trochaico dimetro acatalepto;  
 monocolo.

Rhythmis alternis.

II.

SAncte Spiritus Creator,  
 Corda visita tuorum;

E

QVI.

Qui boni remunerator  
Es, reple mentem bonorum!

2.

Namque Consolator audis  
Arrhabo, brabæon, alma  
Lux, & ungven nuncuparis,  
Charitas, fons, flamina viva.

3.

Septuplex es, dona dando,  
Et manus Index Supremi:  
Totque lingvas dirigendo  
Justa Patris pandis Orbi.

4.

~~X~~ Sensibus succende lumen,  
Pectori nec non amorem:  
Et tuum fidele Numen  
Langvidis addat vigorem!

5.

Libera nos à furore  
Hostis, atque redde pacem:  
Ipsius, tuo favore,  
Et retunde vim ferocem.

6.

Te docente, scire recte  
Fac Patrem, simulque Gnatum,  
Nec minus novisse certe  
Temet, utriusque Flatum.

7.

Laus, honosque conseratur  
Filio, sicut Parenti,  
Semper item prædicetur  
Spiritus persona Sancti.

X. Con-

## X.

## Contra hostes Christi.

*Erhalt Uns Herr bey deinem Worth.*

JO, STIGELII.

Metro Jambico dimetro acatalesto:  
monocolo & rhythmico.

## S. I.

Erva, Deus, verbum tuum,  
Et frange vires hostium,  
Qui Filium tuum suo  
Turbare conantur Throno.

## 2.

Ostende nunc potentiam,  
O Christe, Rex Regum, tuam:  
Defende parvulum gregem,  
Qui te fatetur Principem!

## 3.

Vivificator Spiritus,  
Concordiam da cordibus:  
Ad sis periclitantibus,  
Cum morte conflictantibus.

## 4.

Hostes repelle, machinis  
Et dissipia reciprocis:  
Scrobes in altas dejice,  
Qvas comparant Ecclesiae!

## 5.

Sic fiet, ut te sentiant  
Verum Deum, quem pernegant,  
Qui fortiter nos adjuvas,  
Cœli futuros incolas.

---

FINIS DEC. V.

---

D 2.

DE-

**DECAS SEXTA**  
**H Y M N O R U M**

*Incertorum Auctorum,  
non nisi pasim emendatorum.*

## I.

**In Nativitate CHristi.**

*Der Tag der ist so freudenreich,  
Metro Trochaico catalesto & brachycatalesto : dicolo.*

*Rhythmis alternis,  
sed neglectis quantitatibus.*

## II.

**D**ies est lætitiae  
In ortu regali,  
Nam processit hodiè.  
De ventre virginali  
Puer admirabilis,  
Totus delectabilis,  
In humanitate  
Est inæstimabilis,  
Est & ineffabilis  
In divinitate.

## III.

**O**rtô DEI Filiô  
Virgine de purâ,  
Ut Rosa de Lilio,  
Miratur Natura  
Quem parit Juvencula,  
Natum ante Secula  
Creatorem rerum.  
Dat lac pudicitiae,  
Ubera munditiæ,  
Antiquo dierum.

3. Ut

3.

Ut Vitrum non læditur  
 Sole penetrante,  
 Sic illæsa creditur  
 Post partum & ante,  
 Felix hæc Puerpera,  
 Cujus casta viscera  
 D E U M genuerunt,  
 Et beata ubera  
 In ætate tenerâ  
**CHRISTUM** lactaverunt.

4.

Angeli Pastoribus  
 Juxta suum gregem  
 Nocte vigilantibus,  
 Natum cœli Regem  
 Nunciant cum gaudio,  
 Jacentem in præsepio,  
 Infantem pannosum.  
 Angelorum Dominum,  
 Et præ natis hominum  
 Formâ speciosum.

## II.

**In festo Epiphanias, &c.**

*Was förchst du Feind Herodes sehr?  
 Metro Jambico dimetro acatalesto :  
 monocolo.*

Rhythmis non nisi tertio & quarto  
 versu observatis.

**H**eroes, hostis impie,  
 Christum venire quid times?  
 Non arripit mortalia  
 Qui regna dat cœlestia.

E 3

2. Ibant

2.

Ibant Magi , qvam viderant  
Stellam seqventes præviam :  
Lumen reqvirunt lumine ,  
DEum satentur munere.

3.

Lavacra puri gurgitis  
Cœlestis agnus attigit ,  
Peccata qvæ non induit  
Nos abluendo sustulit.

4.

Novum genus potentiae ,  
Aqvæ rubescunt hydriæ ,  
Vinumqve jussa fundere  
Mutatur Unda origine.

5.

DOMINE , Tibi sit Gloria ,  
Qui natus hoc nobis die ,  
Cum Patre , Sancto & Spiritu ,  
In sempiterna secula.

## III.

## De Passione CHristi.

*CHristus der Uns selig macht.*

Metro Trochaico catalecto & brachy-  
catalecto : dicolo.

Sed neglectis quantitatibus , & rhyth-  
mis alternis.

I.

P Atris Sapientia ,  
Veritas divina ,  
DEus - Homo captus est  
Horâ matutinâ .  
A suis Discipulis  
Citò derelictus ,

A Ju-

A Judæis venditus,  
Traditus, afflatus.

2.  
Horâ primâ ductus est  
JESUS ad Pilatum,  
Falsis testimoniis  
Multum accusatum  
In collum percutiunt  
Manibus ligatum,  
Vultum DEI conspuunt,  
Lumen poli gratum.

3.  
Crucifige clamitant  
Horâ tertiarum,  
Illusus induitur  
Veste purpurarum,  
Ejus Caput pungitur  
Coronâ spinarum,  
Crucem portat humeris  
Ad locum pœnarum.

4.  
Horâ sextâ JESUS est  
Cruci conclaveatus,  
Est & cum Latronibus  
Pendens reputatus,  
Præ tormentis sitiens  
Felle saturatur,  
Agnus crimen diluit,  
Sed ludificatur.

5.  
Horâ nonâ Dominus  
JESUS exspiravit,  
ELI clamans, animam  
Patri commendavit,  
Latus ejus lanceâ  
Miles perforavit,

E 4

Ter-

Ju-

Terra tum contremuit,  
Et Sol obscuravit.

6.

**D**e Cruce dependitur  
Horâ vespertinâ,  
Fortitudo latuit  
In mente divinâ,  
Talem mortem subiit  
Vitæ Medicina.  
**H**eu Corona gloriæ  
Jacuit supina!

7.

Horâ completorii  
Datur sepulturæ  
**C**orpus C H R I S T I nobile,  
Spes vitæ futuræ,  
**C**onditum aromate,  
Complentur Scripturæ.  
**J**ugi sit memoriâ  
Mors hæc mihi curæ.

8.

Passionis tempore  
Cum devotione  
Hanc rem , C H r i s t e , recolo  
Piâ ratione,  
Ut qui pro me passus es  
Amoris ardore,  
Mihi sis solatum  
In mortis angore.

IV. In

V

## IV.

## In festo Paschatos.

*JEsus C<sup>H</sup>ristus wahr G<sup>O</sup>ttes Sohn.*

Metro Jambico dimetro acatalepto :  
*monocolo.*

Rhythmis probè observatis, sed  
neglectis quantitatibus.

1.

**C**hristus pro nobis passus est,  
Et immolatus agnus est :  
Effuso suo sanguine  
In ipsâ Crucis arbore :  
Pro mortuis imperium  
Et vicit Diabolicum.

2.

Quippe surgens è mortuis  
Victor redit ex inferis :  
Delevit & chirographum  
Nobis quod est contrarium,  
Exspoliato Satana,  
Cœli reclusâ januâ.

3.

Habemus ergo liberum  
Ad Patrem jam nos aditum.  
Per CHristum DEI Filium,  
Pro nobis morti traditum.  
*Haleluja! Haleluja!*  
Benedicamus Domino.

## V.

## In eodem festo Paschatos.

*Der Heiligen Leben.*

Metro Sapphico, sine elisionibus.

4.

**V**Ita Sanctorum, decus Angelorum.  
E s Vi-

Vita cunctorum pariter piorum,  
CHriste, qui mortis moriens Ministrum  
Exsuperasti.

2.

Tu tuo lætos famulos trophæo  
Nunc in his serva placidis diebus,  
In quibus sacrum celebratur omnem  
Pascha per Orbem.

3.

Pascha, quo Victor rediens ab imo,  
Atque cum multis aliis resurgens,  
Ipse susceptam super alta carnem  
Astra levasti.

4.

Nunc in excelsis Dominus resplendens,  
Et super cœlos DEus elevatus,  
Inde venturus Homo, judicatum  
Denuò Judex.

5.

Corda tu sursum modò nostra tolle,  
Quô Patri dexter resides in altô,  
Ne resurgentes facias in ima  
Præcipitari.

6.

Hoc Pater tecum, pariter sacratus  
Præstet amborum, pie CHriste, Flatus,  
Cum quibus regnas DEus Unus, omni  
Jugiter ævo!

VI, In

## VI.

## In festo Pentecostes.

*Des H. Geistes Gnade groß.*

Metro Jambico dimetro acatalectic  
monocolo.

Rhythmis observatis,  
sed neglectis quantitatibus.

## I.

Spiritus Sancti gratia  
Apostolorum pectora  
Replevit suā gratiā,  
Donans lingvarum genera: *genera*.

## 2.

Christus per mundi climata  
Hos misit, sacra dogmata  
Ut prædicantes, gratiam  
Annuncient, & veniam: *veniam*.

## 3.

Dicens eis: Accipite  
Spiritum Sanctum hodiē,  
Qui vos docebit omnia,  
Futura & præterita: *præterita*.

## 4.

Dicens &, coram Regibus  
Quum statis, aut Principibus,  
Nunquam vos meditamini,  
Quo pacto, aut quid loquamini:  
(*loquamini*).

## 5.

Illā nam Vobis singula,  
Et cuncta desideria  
Dabuntur horā, cœlitūs,  
Virtute ejusdem Spiritus: *Spiritus*.

6.

Ergo nunc cum tripudio  
Benedicamus Domino.  
Laudetur Sancta Trinitas,  
DEO dicamus gratias: *gratias.*

VII.

## In festo S. S. Trinitatis.

*Der du bist drey in Einigkeit.*

Metro præcedente,  
sed rhythmis & quantitatibus  
observatis.

1.

**O** Lux beata, Trinitas,  
Et principalis Unitas,  
Jam Sol recedit igneus,  
Infunde lumen cordibus!

2.

Te manè laudum carmine,  
Et Te ptecamur vespere,  
Te nostra supplex gloria  
Per cuncta laudet secula.

3.

DEO Patri sit gloria,  
Ejusqve soli Filio,  
Cum Spiritu: Sicut fuit,  
Nunc est, & omni Seculo.

VIII.

## Hymnus Vespertinus.

*Christe, der du bist Tag und Liecht.*

Eodem Metro.

Sed quantitatibus neglectis, & rhythmis  
confusis.

1.

**C**hriste, qui lux es, & dies,

No-

Noctis tenébras dissipans,  
Lucisqve lumen credēris,  
Lumen beatum prædicans.

2.

Precamur, sancte Domine,  
Hac nocte nobis prospice,  
Et svave dormientibus  
Noctem qvietam tribue!

3.

Ne gravis somnus irruat,  
Nec hostis nos surripiat,  
Illi caro consentiens  
Nec tibi reos statuat.

4.

Qvum sopor subit lumina,  
Cor semper ad Te vigilet,  
Tua protegatqve dextera  
Fideles, qvi te diligunt.

5.

Defensor noster adspice,  
Insidiantes reprime,  
Guberna servos supplices  
Qvos sanguine mercatus es.

6.

Memento nostri, D<sup>O</sup>mīne;  
In isto gravi corpore,  
Qvi es Redemtor animæ,  
Adesto nobis, D<sup>O</sup>mīne!

7.

DEO Patri sit gloria,  
Ejusqve soli Filio,  
Sancto simul Paraclito,  
In sempiterna secula!

## IX.

## In rebus angustis.

*Wend ab deinen Zorn.*

G. THYMIÆO auctore,  
Correct. à PH. MELANCHTONE.  
Metro Sapphico, *sine elisionibus.*

## 1.

A Ufer immensam, DEus, aufer iram,  
Et cruentatum cohibe flagellum,  
Nec scelus nostrum properes ad æquam  
Pendere lacem!

## 2.

Si luant justam mala nostra pœnam,  
Qvis potest sœvas tolerare plagas?  
Qyum nec ultricem spatioſa ferret  
Machina virgam.

## 3.

Parce, sed nostris miserando culpis,  
Jus pari clemens pietate miscens,  
Cui manet semper proprium, maligno  
Parcere mundo,

## 4.

Cur super vermes luteos furorem  
Sumis, ô magni fabricator Orbis,  
Qvid sumus, qvām fœx putris, umbra,  
pulvis,  
Glebaqve terræ?

## 5.

Nos parentales maculant reatus,  
Et caro mentem trahit imbecillem,  
Ergo tam sortem fragilem benigno  
Respice vultu!

## 6.

Da, crucem, clavos, scuticam, coronam,  
Lan-

Lanceam, funes, rigidamque mortem,  
Inter iratam mediare dextram,

Et mala nostra!

7.

Non opus summi pereat Magistri,  
Nec sinas castam fore passionem,  
Corde sed manans lavet omne crimen  
Sangvis & unda.

8.

Hoc ratum quod sit facias precamur  
Omnibus nobis, residens Olympo  
Qui Deus, semper dominaris Orbi,  
Trinus & Unus.

## X.

### In Exequiis.

*Hört auff mit trauren und klagen;*

H. PRUDENTII.

Metro Anapæstico Partheniaco, dimetro  
catalectic: monocolo.

1.

Amœsta qviesce qverela,  
Lacrumas suspendite Matres,  
Nullus sua pignora plangat,  
Mors hæc reparatio vitæ est.

2.

Qvidnam sibi saxa cavata,  
Quid pulchra volunt monumenta?  
Res, quod nisi creditur illis,  
Non mortua, sed data somno.

3.

Nam quod requiescere corpus  
Vacuum sine mente videmus,  
Spatium breve restat, & alti  
Repetent collegia sensus.

4. Vc.

4.

Venient citò secula, qvum jam  
 Socius calor ossa reviset,  
 Animataqve sanguine vivo  
 Habitacula pristina gestent.

5.

Qvæ pigra cadavera pridem  
 Tumulis putrefacta jacebant,  
 Volucres rapientur in auras,  
 Animas comitata priores.

6.

Sic semina sicca virescunt,  
 Jam mortua, jamqve sepulta,  
 Qvæ redditæ cespite ab imo  
 Veteres meditantur aristas.

7.

Nunc suscipe terra fovendum,  
 Gremioqve hunc concipe molli,  
 Hominis tibi membra seqvestro,  
 Generosa & fragmina credo.

8.

Animæ fuit hæc domus olim,  
 Factoris ab ore creatæ,  
 Fervens habitavit in istis  
 Sapientia, Principe CHristo.

9.

Tu depositum tege corpus,  
 Non immemor ille reqviret  
 Sua munera fistor & auctor,  
 Propriiqve ænigmata vultus.

10.

Veniant modò tempora justa,  
 Et spem DEus impletat omnem,  
 Reddas patefacta necesse est  
 Qvalem tibi trado figuram.

---

FINIS DEC. VI.

---

DE-

**DECAS SEPTIMA**  
**H Y M N O R U M**  
*non translatorum.*

I.

**In Adventu Domini.**

D. AMBROSII.

Metro Jambico dimetro acatalesto :  
*monocolo.*

Sed neglectis quantitatibus, & rhythmis confusis.

1.  
**C**onditor alme siderum,  
Æterna lux credentium,  
**CH**riste, Redemptor omnium,  
Exaudi preces supplicum.

2.  
**Q**ui condolens, interitu  
Mortis perire seculum,  
Salvasti mundum langvidum,  
Donans reis remedium.

3.  
**V**ergente mundi vespere,  
Uti Sponsus è thalamo,  
Egressus honestissimâ  
E Virginali clausulâ.

4.  
**C**ujus forti potentiae  
Genua curvantur omnia,  
Cœlestia, terrestria,  
Cui se fatentur subdita.

5.  
**O**ccasum Sol custodiens,  
Luna pallorem retinens,

Can-

Candor in astris residens,  
Certos observat limites.

6.

Te, te precamur, ultimi  
Venture Judex seculi,  
Conserva nos in tempore  
Hostis à telo perfidi.

7.

Laus, honor, virtus, gloria,  
DEO Patri, cum Filio,  
Et Spiritu Paraclito,  
A seculis in secula.

## II.

## De Passione Domini.

INCERTI.

*Emendat. à J. H. P.*

Metro præcedente,  
sed rhythmis ordine dispositis.

**R**Ex CHriste, factor omnium,  
Redemtor & credentium,  
Placare votis supplicum,  
Telaudibus colentium!

1.

Cujus benigna gratia  
Crucis per alta vulnera,  
Virtute solvit ardua  
Primi Parentis vincula.

2.

Creator alme siderum,  
Tegmen subisti carneum,  
Dignatus hanc vilissimam  
Pati doloris formulam.

4. Li.

4.

Ligatus es, qvò solveres  
 Mundi ruentis complices,  
 Venena tollens criminum,  
 Qvæ Mundus auxit plurimū.

5.

Cruci Redemtor figeris,  
 Terram sed omnem concutis,  
 Patriqve tradis integrum,  
 Dum Sol nigrescit, Spiritum.

6.

Mox in paternæ gloriæ  
 Victor resplendens culmine,  
 Cum Spiritū munimine,  
 Defende nos, REX optime!

## III.

## In festo Paschatos.

## INCERTI.

Eodem metro,  
 sed neglectis quantitatibus,  
 & rhythmis confusis.

**A**ND Agni cœnam, providi  
 Et stolis albis candidi,  
 Per transitum maris rubri  
 CHristo canamus Principi.

1.

Cujus corpus sanctissimum  
 In arâ crucis torridum,  
 Cujus crux roseo  
 Fruendo vivimus DEO.

2.

Paschæ securi vesperâ,  
 Vastante qvamvis Angelo,

Erc-

Erepti de durissimo  
Pharaonis imperio.

4

Jam Pascha nostrum CHristus est,  
Qvi immolatus agnus est,  
Cujus caro fit azyma  
Sinceritatis hostia.

5.

O digna verè victima,  
Per qvam fracta sunt tartara,  
Redemta gens è vinculis  
Redit ad vitæ præmia.

6.

Precamur, Auctor omnium,  
In hoc Paschali gaudio,  
Ab omni mortis impetu  
Tuum defendas populum.

7.

Grates Tibi sint, DOMine,  
A morte qvod surrexeris,  
Cum Patre, & Sancto Spiritu,  
In sempiterna secula.

## IV.

## In festo Ascensionis Domini.

INCERTI.

Metro Choriambico Asclepiadéo tetrametro, & Glyconico trimetro:  
dicolō, tetrastrophō.

1.

**F**Estum nunc celebre, magnaqve gaudiā  
Compellunt animos carmina promere,  
Qvum CHristus solium scandit ad arduū,  
Cœlorum pius Arbiter.

2. A.

2.

Ascendit jubilans latus in æthera,  
 Sanctorum populus prædicat inclitum,  
 Plaudentes celebrant Angelici chori  
 Victoris quoque gloriam.

3.

Qui scandens superos vincula vinxerat,  
 Donans terrigenis munera plurima,  
 Austerus rediens arbiter omnium,  
 Qui mitis modò transit.

4.

Oramus, D' Omne, Conditor inclite,  
 Devotos famulos respice, protege,  
 Ne nos livor edax Dæmonis obruat,  
 Demergat vel ad inferos!

5.

Ut, qvum flammiferâ nube reverteris  
 Omnes res hominum pandere, judicans  
 Cesses suppliciis plectere noxios,  
 Dans justis sua præmia.

6.

Præstes hoc Genitor, optime, maxime,  
 Hoc tu, Nata DEI, tu bone Spiritus,  
 Regnans perpetuò fulgida Trinitas,  
 Per cuncta pia secula!

## V.

## In festo Purificationis M A R I Æ.

INCERTI.

Metro Sapphico, sine elisionibus.

I.

**Q**uod Chorus Vatum venerandus  
 olim

Spi-

Spiritu Sancto cecinit repletus,  
In DEI factum Genetrice constat  
Esse Mariâ.

2.

Hæc DEUM cœli Dōminumqve terræ  
Virgo concepit, peperitqve Virgo,  
Atqve post partum meruit manere  
Inviolata.

3.

Qvem Senex justus Simeon in ulnas  
In domo sumisit Dōmini, gavisus  
Hoc, qvod optatum proprio videret  
Lumine CHristum.

4.

Tu piis votis facilis precantum,  
Regis æterni Soboles, faveto,  
Clara qvi celsi remeans Olympi  
Regna petisti.

5.

Sit DEO nostro decus, & potestas,  
Et salus perpes, sit honor perennis,  
Qvi poli summâ resides in arce  
Trinus & Unus.

## VI.

In festo Annunciationis  
M A R I Æ.

INCERTI.

Metro Jambico dimetro acatalepto:  
*monocolo.*

Rhythmis invicem permixtis.

**F** It porta cœli peryia,  
Referta, plena gratiâ,



Tran-

Transitque Rex , & permanet  
Claus*a* ut fuit per secula.

2.

Genus superni luminis  
Processit aulâ Virginis ,  
Sponsus , Redemtor , Conditor ,  
Suæ Gigas Ecclesiæ.

3.

Matris pudicæ gaudium ,  
Immensa spes credentium ,  
Per atra mortis pocula  
Qui nostra solvit crimina.

4.

DEO Patri sit gloria ,  
Ejusque soli Filio ,  
Cum Spiritu Paraclito ,  
Nunc , & per omne seculum.

## VII.

## In festo Visitationis.

## INCERTI.

Metro præcedente ,  
sed sine rhythmis.

A.

<sup>I.</sup>  
Terne , gratias tibi  
Dicemus omnes , Conditor ,  
Qvod inter hostes plurimos  
Ecclesiam servas tuam.

2.

Et inter arma Gentium ,  
Herodis & Satellites ,  
Interque turpis dogmata  
Erroris , & deliria .

3.

Servas Mariam Virginem ,

Ca.

Castæ domumqve Elisabeth,  
Qvæ prædicat munus tuum  
Datumqve CHristum nunciat.

4.  
Non Pontifex, non Principes,  
Etsi sciant oracula  
Vatum, Salutis organum  
Venisse noverant novæ.

5.  
Sed dulcis hæc Elisabeth,  
Et Virginis congressio,  
Arcana promit ceteris,  
Verè DEum colentibus.

6.  
Alvoqve fœtus conditus,  
Quem respuunt Antistites,  
Libenter agnoscit Ducem,  
Adorat & gestu suo.

7.  
Hæc prima Synodus fuit,  
Testata de CHristo - DEO,  
Postquam statuto tempore  
Verbum DEI factum est Caro.

8.  
Accensa testimonia  
In corde nostro talia  
Colat fides, & invocet  
CHristum Mariæ filium.

9.  
Opemqve spe firmâ petat,  
Misumqve credat à Patre,  
Ut invocantes adjuvet,  
Malisqve cunctis liberet.

VIII. In

## VIII.

## In Die S. Johannis Baptistæ

INCERTI.

Eodem metro,  
sed neglectis quantitatibus & rhythmis,

**A** Terno Patri gratias  
1.  
Omnes canant Ecclesiæ,  
Qvod nuncium Verbi sui  
*Johannem* nobis miserit.

2.

Hic mores exui malos  
Jussit, metuque Judicis  
Mox adfuturi, terruit  
Mentes superbas omnium.

3.

Rursusque perculsa metu  
In spem novæ vitæ vocat,  
Et monstrat Agnum digito,  
DEum qui placat unicus.

4.

Hæc ille firmo pectore  
Docet, C<sup>H</sup>ristumque prædicat  
Venire : cœi Solem novum  
Prodire aurora nunciat.

5.

Nec Pharisei Spiritum  
Fregerunt ingentem Viri,  
Elias alter hic fuit,  
Hypocritas hic arguit,

6.

Te summe rogamus Pater,  
Ut corda nostra suscites,  
Ut verè possint credere  
*Johannis* testimonio !

## IX.

## De Angelis.

PH. MELANCHTONIS.

Metro Sapphico, *sine elisionibus.*

1.

**D**icimus grates Tibi, summe rerum  
Conditor, summas, tua qvòd Mini-  
( stros  
Flammeos finxit manus, Angelorum  
Agmina pura,

2.

Qui tuæ lucis radiis vibrantes,  
Te vident lætis oculis, tuasque  
Hauriunt voces, Sapientiaeque  
Fonte fruuntur.

3.

Hos nec ignavum sinis esse vulgus,  
Nec per ingentes volitare frustra  
Ætheris tractus, temerè nec inter  
Ludere ventos.

4.

Sed jubes **CHristo** Comites adesse,  
Et pios cœtus hominum tueri,  
Qui tuas leges venerantur, atque  
Discere curant.

5.

Impiis ardens odiis & irâ,  
Nam tuis castris Draco semper infert  
Bella, qui primus scelus atque mortem  
Intulit Orbi.

6.

Hic, domos, Urbes, tua templa, gentes,  
Et tuæ legis monumenta tota,  
Et bonos mores abolere tentat  
Funditus omnes.

7. In-

7.

Interim sed nos tegit Angelorum  
 Qvæ DuceM CHristum seqvitur caterva,  
 Atqve grassantis reprimit cruenta  
 Arma Draconis.

8.

Angeli Lothum Sodomæ tuentur,  
 Inter infestos Elisæus hostes  
 Angelis cinctus, nihil extimescit  
 Bellica signa.

9.

Tutus est inter medios Leones  
 Angelis septus Daniel Propheta,  
 Sic tegit semper DEus his Ministris  
 Omnia nostra.

10.

Hoc tuum munus celebramus unà,  
 Et tibi noster chorus, Angeliqve  
 Gratias dicunt, simul accinentes,  
 Conditor alme.

11.

Et tuo templo vigiles ut addas  
 Angelos semper, populoqve, Gnatı  
 Qui tui verbum colit, obsecramus  
 Pectore toto!

X.

## Ode Pœnitentialis.

J. H. PAULLI *Auctore.*

Metro præcedenti, *sine elisionibus.*

I.

**M**E satis nondum scio præparatum,  
**O** DEus, rerum Pater alme! Sed te  
 Hactenus semper tacuisse, tutum  
 Fecit iniqum.

F 2 z. Con-

2.

Contumax erga bene me monentes,  
 Noxiis qvantò magis abstinere  
 Distuli, tanto magis implicavi  
 Memet iisdem.

3.

Qui qvidem culpam potui subire  
 Sponte, non ultrò tamen amovere:  
 Nunc, tuā tandem bonitate fretus,  
 Sérior adsum.

4.

Sed nimis lentè propero, meorum  
 Nec velut fas est scelerum recordor,  
 Dum datur vitæ fragilis cadios  
 Carpere fructus.

5.

Negligo primum, nego sed secundum,  
 Tertium crimen temerè refuto,  
 Intimis hæret reliquum medullis  
 Vulnere cœco.

6.

Hinc nec errores penetro per omnes,  
 Rite perpendens mala qvæ patravi,  
 Nec satis motū animi rebelles  
 Comprimo mecum.

7.

Ah miser! fundo lâcrumas nec ullas,  
 Impetu justo nec opem reqviro,  
 Nec mihi cordi studium Salutis,  
 Qvō recrearer.

8.

Interim nil me poterit juvare,  
 Puritas cordis, Pietaque vera,  
 Qyamdiu desunt, Remanebit ergo  
 — Hæc mihi meta.

---



---

FINIS DEC. VII.

---



---

DE.

**DECAS OCTAVA  
HYMNORUM**  
Sive  
**CANTICORUM**  
*Veteris Ecclesiæ.*

**I.****De Nomine JESU.**

**O JESU SÜß**, wer dein gedencke.

**Jubilus Sti. BERNARDI.**

Metro Jambico dimetro acatalepto;  
*monocolo.*

Rhythmis observatis,  
sed neglectis quantitatibus.

**J**ESU, dulcis memoria,  
Dans cordi verā gaudia,  
Sed super mel & omnia  
Ejus dulcis præsentia.

**2.**

JESU, dulcedo cordium,  
Fons vivus, lumen mentium,  
Excedens omne gaudium,  
Et omne desiderium.

**3.**

Amor, JESU, dulcissimus  
Es, & verè svavissimus,  
Plus millies gratissimus,  
Quām dicere sufficimus.

**4.**

JESUS auctor Clementiæ,  
Totius spes lætitiae,

F 3

Dul-

Dulcoris fons & gratiæ,  
Veræ cordis lœtitiæ.

5.  
Tua, JESU, dilectio,  
Grata mentis refectio,  
Replens sine fastidio,  
Dans famem desiderio.

6.  
JESU, decus Angelicum,  
In aure dulce canticum,  
In ore mel mirificum,  
In corde nectar cœlitum!

7.  
JESU, summa benignitas,  
Cordis mei jucunditas,  
Incomprehensa bonitas,  
Tua me stringat charitas!

8.  
Bonum mihi diligere  
JESUM, nil ultra qværere,  
Prorsus mihi deficere,  
Ut illi qveam vivere.

9.  
O JESU mî dulcissime,  
Spes suspirantis animæ!  
Te qværunt piæ lacrimæ,  
Te clamor mentis intimæ.

10.  
Qvocunqve loco fuero  
JESUM meum desidero,  
Qvàm lœtus qvum invenero,  
Qvàm felix qvum tenuero.

11.  
Jam qvod qvæsvi video,  
Qvod concupivi teneo,  
Amore JESU langveo,  
Et corde totus ardeo.

12. JE-

12.

JESUS qvum sic diligitur  
 Hic amor non extinguitur,  
 Tepescit, nec emoritur,  
 Plus crescit, & accenditur.

13.

JESU, flos matris Virginis,  
 Amor nostræ dulcedinis,  
 Tibi laus, honor Numinis,  
 Regnum beatitudinis.

14.

Tu mentis delectatio,  
 Amoris consummatio,  
 Tu mea gloriatio,  
 JESU, mundi salvatio.

15.

Tu fons misericordiæ,  
 Tu veræ lumen Patriæ,  
 Pelle nubem tristitiæ,  
 Dans nobis lucem gloriæ.

16.

Te cœli chorus prædicat,  
 Et tuas laudes replicat:  
 JESUS Orbem lætificat,  
 Et nos DEO pacificat.

17.

In pace JESUS imperat,  
 Qvæ sensus omnes superat,  
 Hanc mea mens desiderat,  
 Et eâ frui properat.

18.

JESUS ad Patrem rediit,  
 Cœleste Numen adiit,  
 A me Cor meum transit,  
 Cum JESU simul abiit.

19.

Hunc proseqvemur laudibus,

F 4

V. -

JES.

Votis, hymnis, & precibus,  
Ut nobis det cœlestibus  
Secum potiri sedibus.

20.

Mane nobiscum, D<sup>O</sup>M<sup>I</sup>N<sup>E</sup>,  
Et nos illustra lumine,  
Pulsâ m<sup>e</sup>ntis caligine,  
Mundum replens dulcedine.

## II.

## De eodem Nomine JESU.

JESU, meines Hertzæns Freud, sey gegrüßet,

## INCERTI.

Metro Trochaico dimetro catalesto,  
sed neglectis quantitatibus.

**S**alve cordis gaudium :  
    *Salve J E S U !*  
Pectoris incendium :  
    *Salve J E S U !*  
Animæ præsidium :  
    *Salve J E S U !*  
Bone *salve J E S U !*

2.

Millies te cogito :  
    *Veni Sponse,*  
Millies te qvarito :  
    *Veni Sponse,*  
Millies te flagito :  
    *Veni Sponse,*  
Chare *veni Sponse !*

3.

Pasce me ~~überibus~~ :  
    *Mens dulcescer,*

L3.

*Laeta me uberibus :*  
*Cor liqvescet ,*  
*Merge me visceribus :*  
*Spes virescet ,*  
*Vita repubesbet.*

4.

*Nihil est te svavius :*  
*Svavis Amor ,*  
*Nihil est te dulcior :*  
*Dulcis Amor ,*  
*Nihil est te mitius :*  
*Mitis Amor .*  
**JESU svavis Amor !**

5.

*Rigeo , accende me ,*  
*O Amator ,*  
*Langveo , solare me ,*  
*O Creator !*  
*Morior , defende me ,*  
*O Salvator !*  
**JESU , mi Salvator !**

## III.

**In festo Nativitatis CHristi.***Ein Kind gebohn zu Bethlehem.***PET. DRESDENSIS.**

*Metro Jambico dimetro acatalesto ,*  
*Rhythmis observatis ,*  
*sed neglectis quantitatibus .*

I.

**P**uer natus in Bethlehem , *Bethlehem :*  
*Unde gaudet Jerusalem ,*  
*Halleluja , Hale , Haleluya !*

F 5

2. Heie

La.

2.

Heic jacet in præsepio, *præsepio,*  
*Qui regnat sine termino,*  
*Haleluja, Hale, Haleluja!*

3.

Cognovit Bos, & Aſinus, *Aſinus.*  
*Qvod Puer erat Dōminus,*  
*Haleluja, Hale, Haleluja!*

4.

Reges de Sabā veniunt, *veniunt:*  
*Aurum, thus, myrrham offerunt,*  
*Haleluja, Hale, Haleluja!*

5.

De matre natus Virgine, *Virgine:*  
*Sine virili semine,*  
*Haleluja, Hale, Haleluja!*

6.

Sine Serpentis vulnere, *vulnere:*  
*De nostro venit sanguine,*  
*Haleluja, Hale, Haleluja!*

7.

In carne nobis similis, *similis:*  
*Peccato sed dissimilis,*  
*Haleluja, Hale, Haleluja!*

8.

Ut redderet nos homines, *homines:*  
*DEO Sibi qve similes,*  
*Haleluja, Hale, Haleluja!*

9.

In hoc natali gaudio, *gaudio:*  
*Benedicamus Dōmino,*  
*Haleluja, Hale, Haleluja!*

10.

Laudetur Sancta Trinitas, *Trinitas:*  
*DEO dicamus gratias,*  
*Haleluja, Hale, Haleluja!*

IV. In

## IV.

**In eodem festo.**

INCERTI.

Metro Trochaico dimetro catalesto,  
monocolo circulari.

Rhythmis observatis,  
sed neglectis quantitatibus.

**R**Esonet in laudibus,

Cum jucundis plausibus,

Sion, cum fidelibus,

Apparuit qvem genuit

*MARIA.*

2.

**C**HRI<sup>S</sup>TU<sup>S</sup> natus hodiè

Ex Mariâ Virgine,

Sine virili semine,

Apparuit qvem genuit

*MARIA.*

3.

Pueri concinete,

Nato Regi psallite,

Voce piâ dicite;

Apparuit qvem genuit

*MARIA.*

4.

Sion, lauda D<sup>O</sup>minum,

Salvatorem Hominum,

Purgatorem criminum,

Apparuit qvem genuit

*MARIA.*

5.

Sunt impleta Gábel

Qvæ prædictis omnia, Eja, Eja!

Virgo DEUM genuit,

Qvem divina voluit

*CLEMENTIA.*

F 6

6. Ille

6.

Ille dixit Gabriel,  
Ferē Verbum Dōmini  
Nobis adjutorium.  
Nempe DEI Filius

EMANUEL.

7.

Hodiē apparuit,  
Apparuit. In Israēl  
Rex eit natus. Plaudite,  
Vocem vestram tollite:

HALELUJA!

## V.

## In eodem festo.

H. PRUDENTII.

Metro Trochaico tetrametro catalepto,  
(sed distinetis versibus)  
dico lo *composito*, & circulari.  
Rhythmis & quantitatibus passim  
neglectis.

## I.

**C**orde natus ex Parentis  
Ante mundi exordium,  
Alpha & O cognominatus  
Ipse fons & clausula,  
Omnibus, quæ sunt, fuerunt,  
Quæque post futura sunt  
Seculorum seculis.

## 2.

O beatus ortus ille!  
Virgo quō puerpera  
Edidit nostram Salutem,  
Festa Sancto Spiritu:  
Et Puer, Redemptor Orbis  
Os sacratum protulit,  
Seculorum seculis.

3. Psal.

3.

Psallat altitudo cœli,  
 Psallat omnis Angelus,  
 Qvicqvid est virtutis usqvam  
 Psallat in laudem DEI.  
 Nulla lingvarum filescat,  
 Vox & omnis consonet;  
*Seculorum seculis.*

4.

Ecce, qvem vates vetustis  
 Concinebant seculis,  
 Qvem Prophetarum fideles  
 Paginæ spoponderant,  
 Emicat promissus olim,  
 Cuncta collaudent eum,  
*Seculorum seculis.*

5.

Te Senes, & te Juventus,  
 Parvulorum te chorus,  
 Turba Matrum Virginumqve,  
 Simplices puellulæ,  
 Voce concordes, pudicis  
 Perstrepent concentibus,  
*Seculorum seculis.*

6.

CHriste, sit Tibi, cum Patre,  
 Hagiqve Pneumate,  
 Laus, melos, hymnus, perennis  
 Gratiarum actio,  
 Virtus, Honos, & triumphus,  
 Regnum æternaliter!  
*Seculorum seculis.*

F 7

VI. In

## VI.

## In festo Paschatos.

Erstanden ist der H. CHrist.

## IN CERTI.

Metro Jambico dimetro acatalecto:

Rhythmis observatis, sed neglectis  
qvantitatibus.

## 1.

**S**urrexit CHristus hodiè,  
Hale, Haleluja!

Humano pro solamine,

Hale, Haleluja!

## 2.

Mortem qvi passus pridiè,  
Hale, Haleluja!

Miserrimo pro homine.

Hale, Haleluja!

## 3.

Mulieres perterritæ  
Hale, Haleluja!

In Galilæam pergitæ.

Hale, Haleluja!

## 4.

Discipulis hoc dicite,  
Hale, Haleluja!

Surrexit CHristus hodiè

Hale, Haleluja!

## 5.

In hoc Paschali gaudio,  
Hale, Haleluja!

Benedicamus DOMINO.

Hale, Haleluja!

## 6.

Laudetur Sancta Trinitas,

Hale, Haleluja!

DEO

DEO dicamus gratias.

*Hale, Haleluja!*

## Canticum B. MARIAE.

*Meine Seele erhebt den HERRN.*

Luc. I, v. 46.

1.

**M**agnificat anima mea DOMINUM :  
Et exaltavit Spiritus meus in DEO  
salutari meo.

2. Qvia respexit humilitatem Ancillæ  
suæ : Ecce enim ex hoc beatam me di-  
cent omnes generationes.

3. Qvia fecit mihi magna qvi potens  
est : Et sanctum Nomen ejus.

4. Et misericordia ejus à progenie in  
progeniem timentibus eum

5. Fecit potentiam in brachio suo :  
Dispersit Superbos mente cordis sui.

6. Deposuit Potentes de sede ; Et ex-  
altavit humiles.

7. Esurientes implevit bonis : Et di-  
vites dimisit inanes.

8 Suscepit Israël puerum suum :  
Recordatus misericordiæ suæ.

9. Sicut locutus est ad Patres nostros :  
Abraham, & semini ejus in secula.

10. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui  
Sancto !

11. Sicut erat in principio , & nunc,  
& semper : Et in secula seculorum.

A M E N.

## VIII.

## Canticum ZACHARIÆ.

*Gelobet sey der HErr, der GOTz Israël.*

Luc. I. v. 68.

## I.

**B**enedictus DÖminus DEus Israël!  
Qui visitavit, & fecit redemtionem  
plebis suæ.

2. Et erexit Cornu Salutis nobis in  
domo David pueri sui.

3. Sicut loquitus est per os sanctorum  
qui à seculo sunt Prophetarum ejus.

4. Salutem ex inimicis nostris: Et de  
manu omnium qui oderunt nos.

5. Ad faciendam misericordiam Patri-  
bus nostris: Et memorari testamenti sui  
sancti.

6. Jusjurandum, quod juravit ad A-  
braham, Patrem nostrum, daturum se  
nobis.

7. Ut sine timore, de manu inimico-  
rum nostrorum liberati, serviamus illi.

8. In sanctitate & justitiâ eorum co-  
ram ipso, omnibus diebus nostris.

9. Et tu puer Propheta altissimi voca-  
beris: Präebis etiam ante faciem DÖmi-  
ni, parare vias ejus.

10. Ad dandam scientiam Salutis plebi  
ejus: In remissionem peccatorum eo-  
rum.

11. Per viscera misericordiae DEI no-  
stri: In quibus visitavit nos oriens ex  
alto.

12. II-

12. Illuminare his, qui in tenebris &  
in umbrâ mortis sedent: Ad dirigendos  
pedes nostros in viam pacis.

13. Gloria Patri, & Filio, &c.

## IX.

## Canticum Sanctorum.

AMBROS. &amp; AUGUSTINI.

*HERR GOT dich loben wir.*

**T**E DEUM laudamus,  
Te DOMinum confitemur.  
Te æternum Patrem  
Omnis terra veneratur.  
Tibi omnes Angeli,  
Tibi cœli, & universæ potestates,  
Tibi Cherubim & Seraphim,  
Incessabili voce proclamat.  
*Sanctus, sanctus, sanctus*  
DOMinus DEus Zebaoth!  
Pleni sunt cœli, & terra,  
Majestatis gloriâ tuæ.  
Te glriosus Apostolorum chorus,  
Te Prophetarum laudabilis numerus.  
Te Martyrum candidatus  
Laudat exercitus:  
Te per orbem terrarum  
Sancta confitetur Ecclesia,  
Patrem immensæ Majestatis,  
Venerandum tuum, verum & uni-  
( cum Filium,  
Sanctum quoque Paracletum Spiri-  
( tum.  
Tu Rex gloriæ, CHriste,  
Tu Patris sempiternus es Filius,

Tu,

Tu, ad liberandum suscepturus hominem,  
Non horruisti Virginis uterum.  
Tu, devicto mortis aculeo,  
Aperiisti credentibus regna cœlo-  
rum.  
Tu ad dexteram DEI sedes in gloriâ  
Patris,  
Judex crederis esse venturus.  
Te ergo quæsumus tuis famulis subveni.  
Qvos pretioso sangvine redemisti.  
Æternâ fac cum Sanctis tuis  
Gloriâ remunerari.  
Salvum fac populum tuum, D'Omne,  
Et benedic hæreditati tuæ.  
Et rege eos, & extolle illos  
Usqve in æternum!  
Per singulos dies benedicimus tibi,  
Et laudamus Nomen tuum in se-  
culum:  
Et in seculum seculi.  
Dignare, D'Omne, die isto  
Sine peccato nos custodire.  
Miserere nostri, D'Omne,  
Miserere nostri!  
Fiat misericordia tua, D'Omne, super  
nos,  
Quemadmodum speravimus in te!  
In te, D'Omne, speravi,  
Non confundar in æternum!

A M E N.

X. De

## X.

## De Die Novissimo.

## INCERTI.

Metro Trochaico dimetro acatalepto:  
monocolo.

Rhythmis observatis, sed neglectis  
quantitatibus.

1.

**R**Ex tremendæ Majestatis,  
Qui salvandos salvas gratis,  
Salva me, fons pietatis!

2.

Cujus sensus totum nosse,  
Cujus virtus totum posse,  
Et perenne cujus esse:

3.

Patri compar Deitate,  
Crucifice, tumulate,  
Rursus & resuscitate:

4.

Recordare, JESU pie,  
Causa quod sim tuæ viæ,  
Ne mē perdas illâ die!

5.

Quærens me sedisti lassus,  
Redemisti cruce passus.  
Tantus labor ne sit cassus!

6.

Juste Vindex ultionis,  
Donum fac remissionis,  
Ante diem rationis!

7.

In gemisco tanquam reus.  
Culpam docet vultus meus.  
Supplicantem juva DEUS!

8. Qui

8.

Qui MARIAM absolvisti,  
Qui Latronem exaudisti,  
Mihi quoque spem dedisti.

9.

Oro supplex & acclivis,  
Et contritus quasi cinis,  
Gere curam mei finis!

10.

Preces meæ non sunt dignæ,  
Sed, tu Bone, fac benignè,  
Ne perenni cremar igne!

11.

Inter Oves locum præsta,  
Et ab Hædis me seqvestra,  
Statuens in parte dextrâ!

12.

Confutatis maledictis,  
Flammis acribus addictis,  
Voca me cum benedictis!

13.

Illâ die, judicandus  
Qvum resurget homo reus,  
Mihi tandem parce DEus!

14.

Ut consors beatitatis  
Vivam, cum justificatis,  
In ævum perennitatis!

---

FINIS DEC. IIX.  
ET ULTIMÆ.

---

Pro

Pro supplendis  
pagellis vacuis  
accedunt :

## I.

Hymnus matutinus  
G. BUCHANANI.

Metro Jambico dimetro acatalesto :  
monocolo.

Rhythmis non observatis.

Ad CHRISTUM.

**P** Roles Parentis optimi,

Et par Parenti maximo,

De luce verâ vera lux,

Verusqve de DEO DEus !

## 2.

En nox recessit , jam nitet  
Aurora , luce præviâ  
Cœlum , solumqve purpurans ,  
Tenebricosa detegens .

## 3.

Sed fuscat ignorantia  
Caligo nostra pectora ,  
Et nubilis erroribus  
Mens pœnè cedit obruta .

## 4.

Exsurge , Sol purissime ,  
Lætumqve mundo da diem ,  
Nobisqve lumen afferens  
Erroris umbram discute .

## 5.

Dissolve frigus horridum ,  
Aryumqve nostri pectoris ,

Cæ

Pro

Calore lampadis tuæ ,  
Humore purga noxio !

6.

Ut irrigetur cœlitus  
Roris beati nectare ,  
Et centuplo cum foenore  
Cœleste semen proferat.

## II.

## Hymnus Vespertinus.

ANT. FLAMMINIO Auctore,

Sed emendat. à J. H. PAULLI.

Metro præcedente.

**J**am Sol serenus occidit ,  
Densâque cum caligine  
Jam Vesper ortus incipit  
Diem tenébris condere.

1.

Ergo Parentem luminis  
Omnes precemur , ne sinat  
Noctem suorum mentibus  
Improvidis irrepere.

2.

Hinc supplices reqvirimus ,  
O summe Rector siderum !  
Nunquam recedat intimo  
Lux sempiterna pectore.

3.

Seu membra nostra langvida  
Somnus quiete recreat ,  
Soporis ipso tempore  
Seu derelinquit lumina ,

5. Ut

5.

Ut sensa cordis, omnia  
 Et dicta, facta, maximam  
 Noctes diesqve prædicent  
 Tuam, DEus, potentiam.

6.

Et sic repleti vivido  
 Fulgore Sancti Spiritus,  
 Amoris æstu fervido  
 Te diligamus perpetim.

7.

Nos donec ad cœlestium  
 Sedes beatas transferas,  
 Ibiqve tecum vinculo  
 Vivamus insolubili.

## III.

## Hymnus ad CHristum.

J. H. PAULLI *Auctore.*

Eodem Metro.

Dilecte JEsu, maximi  
 Eterna proles Numinis,  
 Qvibus tuam Clementiam  
 Efferre possem laudibus?

2.

Tu summa linqvens sidera  
 Mortale corpus induis,  
 Ut ipse terram deserens  
 Fiam cohæres cœlitum.

3.

Acerba qvin & vulnera,  
 Crucisqve dira sustines  
 Tormenta, nec foedissimam  
 Obire mortem denegas.

4. Mc

4.

Me , callidi gravissimè  
Serpentis ore faucium ,  
Simul tuo purissimo ,  
Sanas , lavasqve sangvine.

5.

Tu me , resurgens , mortuum  
Tecum facis resurgere ,  
Ascensione præparas  
Et sempiternam gloriam.

6.

Tu nec severi Judicis  
Pro more , qvid peccaverim ,  
Quid fecerim , quid dixerim ,  
Quid cogitârim , judicas.

7.

Sed me cadentem dexterâ  
Tuâ potenti sublevas ,  
Ovemqve quasi perditam  
Me deviantem retrahis.

8.

Qvovis es in discrimine  
Comes fidelis , denique  
Metum , dolores , lacrumas ,  
Mutas perenni gaudio.

9.

Non sic Parentes unicum  
Qveunt amare filium ,  
Qvàm tu , Tibi qvi permanent  
Semper fideles , diligis.

10.

Est ergo felix , Optime  
JESU , relictis omnibus ,  
Qui mente totâ se Tibi  
In servitutem devovet.

Se-

Seqvuntur  
ADDITIONA  
ALIA.

**L**ibellō hōc Hymnorū, cum o-  
mnibus selectis, qvæ hactenus  
mihi habere licuit, Collectaneis, ad  
finem perducto, & exemplaribus  
nonnullis divulgatis, operā Viri ad-  
modūm Reverendi STEPHANI  
DUBRAVII, mihi in manus inci-  
dit, sub titulo *Trifolii Sacri, Exer-*  
*citium Pietatis Quadripartitum, col-*  
*lectore Serotino, qvod Jenæ ANNO*  
*MDC LXXVI. prodiit, cuius Foli-*  
*um tertium (ut appellatur,) centum*  
*quinquaginta, & plures, hujus gene-*  
*ris Hymnos & Cantilenas Latinas*  
*rhythmicas continet. Ex qvibus*  
*itidem præcipuas aliquot excerpere,*  
*variis in locis emendare, & cum*  
*paucis aliis, pro Decade Nona & De-*  
*cima prioribus annectere visum fuit,*  
*donec omnes in secundâ emendati-*  
*ori Editione, si qvæ lucem aspexerit,*  
*in meliorem ordinem redigantur.*

Qvod ad quantitates Syllabarum  
attinet, NOTANDUM: illas in-  
terdum, propter rhythmos, & puri-

tatem Sermonis Latini, neglectos, interdum sine sensu læsione, & maximâ obscuritate emendari non potuisse. Si enim *Dec. I. 2. v. 14.* pag. 6. loco vocabuli *tripudio*, cuius tres priores breves sunt, *soliſtimo*, quod idem est: aut *pag. 55. v. 6.* *lin. 2.* pro *visitare* *pergam*, *repedare* *pergam*, positum esset, quotusque illud, absque hæſitatione, & *Dictionarii* ope, potuiflet intelligere? Et ſic in ceteris. Qvicunq; tamen velit, e. g. *Dec. II. 10. v. 2. lin. 6.* pro *calamitas* fortè *socordia*, (quod mihi autem non probatur,) aut aliud nomen, penultimâ longâ, pro *lubitu* ſubſtituere, per me quidem licebit. Cujus rei et egomet ipſe initium feci, post finitam hanc Editionem, plerasque omnes quantitates, Amici cuiusdam monitu, accuratiū examinando, uti videre eſt in calce Libri, inter EMENDANDA.

ODE

# ODE

## In Hymnologiam Sacram

JAC. HENR. PAULLI.

*P*Indarum rectè studet æmulari  
Optimus PAULLI, Charitum  
Sacerdos,  
Qui Novenarum decus est Sororum,  
Unio Phœbi.

Dum chelyn pulsans digitis sacra-  
tam,  
Elaboravit bene dulce Carmen,  
Vatibus priscis minimè ille cedit,  
Fortius instat.

*R*eginus Psaltes cecinit JEHOVÆ  
Cœlicos Hymnos: pietate PAULLI  
Hos pari gaudet, celebris melodus,  
Concinuisse.

*G*ratias ipsi meritas Apollo  
Ritè decernit: Chorus Angelorum  
Plandit: hoc illi quoque gratulatur  
Carmine parvo

**G. FRANCUS**  
*de FRANCKENAU.*

## DECADIS NONÆ HYMNORUM

- I. Mecum bono Juventa.
- II. DEUM piis, ô gens pia.
- III. O nos nimis miseros.
- IV. Stabat Mater dolorosa.
- V. O maximum Cordolium.
- VI. Veni S. Spiritus, & emitte.
- VII. Cur mundus militat.
- VIII. Grates Tibi per Filium.
- IX. Cordis ex sententia.
- X. Siste somnum mens amica.

## DECADIS DECIMÆ HYMNORUM

- I. E pectoris profundo,
- II. Sit laus in excelsis DEO.
- III. Te, CHRISTE, supplex invoco.
- IV. In te locutur spes mea.
- V. Ah! mi DEUS.
- VI. Non à DEO recedam.
- VII. Ah! state CHRISTO dediti.
- VIII. O CHriste JESU præpotens.
- IX. Fiat, DEUS quod destinat.
- X. Mens triumphando triumpha.

## IN ADDITAMENTIS.

prioribus  
post Decad. VIII.

- I. Proles Parentis optimi.
- II. Jam Sol serenus occidit.
- III. Dilecte JESU, maximi.

INDEX

*Hymnorum Germanicorum*

DECAD. Nonæ & Decimæ.

**A**ch GOtt und Herr.

Ah! mi DEus. *Dec. X. 5.*

Ach lichen Christen seyd getrost.

Ah! state Christo dediti. *Dec. X. 7.*

Allein GOtt in der Höh sey Ehr.

Sit laus in excelsis DEO. *Dec. X. 2.*

Aus meines Hertzen Grunde.

E pectoris profundo. *Dec. X. 1.*

Du Frieden Fürst HErr JEsu Christ.

O CHriste JEsu præpotens. *Dec. X. 8.*

Freu dich sehr, ô meine Seele.

Mens triumphando triumpha. *Dec. X. 10.*

Helft mir GOttes Güte preysen.

Mecum bono juventa. *Dec. IX. 1.*

Ich dancke dir schon.

Grates Tibi per Filium. *Dec. IX. 8.*

Ich ruff zu dir H. JEsu Christ.

Te, Christe, supplex invoco. *Dec. X. 3.*

In dich hab ich gehoffet HErr.

In te locatur spes mea. *Dec. X. 4.*

Lobt GOtt Ihr Christen all zugleich.

DEum piis, ô gens pia. *Dec. IX. 2.*

O Traurigkeit, ô Herzleyd.

O maximum Cordolium. *Dec. IX. 5.*

O wir armen Sünder.

O nos nimis misellos. *Dec. IX. 3.*

Singen wir aus Hertzen Grund.

Cordis ex sententiâ. *Dec. IX. 9.*

Von GOtt will ich nicht lassen.

Non à DEO recedam. *Dec. X. 6.*

Was mein GOtt will, das gescheh allzeit.

Fiat, DEus qvod destinat. *Dec. X. 9.*

Werde nunter mein Gemüthe.

Siste somnum mens amica. *Dec. IX. 10.*

**DECAS NONA**  
**H Y M N O R U M**  
 translatorum à SEROTINO,  
 & aliis.

**I.****Hymnus Anniversarius**

*Helft mir Gottes Güte preysen.*

**SEROTINO Interpretē.**

Sed emendat à J. H. PAULLI.

**MELODIA GERMANICA.**

**Metro Anacreontico & Jambico**  
 dimetro brachycatalepto : dicolo.

**I.**

**M**Ecum bono, Juventa,  
 Laudes DEO cane!  
 Hymnos ei freqventa,  
 Et gratias age!  
 Nam convenit modò,  
 Dum finit Annus horas,  
 Nostrasqve Sol in oras  
 Anno redit novo.

**2.**

Quid præstet exputemus  
 Divina gratia,  
 Parvi nec æstimemus  
 Immensa munera:  
 Ut immerentibus  
 Largitus usqve victum;  
 Largitus est amictum,  
 Pellens malum DEus.

3. Tcm-

3.

Templi , Scholæ , Forique  
 Defensor exstítit ,  
 Hominis bonus cujusque  
 Nutritor adfuit ,  
 Largâque dexterâ ,  
 Sua dona dissipavit ,  
 Ab hoste liberavit  
 Villas , & oppida .

4.

Remisit ille facta  
 Qvæ perpetravimus :  
 Si justus anteacta  
 Multasset , omnibus  
 Par pensitans pari ,  
 Nostrum qvis haut obísset ,  
 Plagisqve non perísset ,  
 Semper neqvissimi ?

5.

Nos patrio favore  
 Protexit haec tenus .  
 Si nostra cum dolore  
 Delicta plangimus ,  
 CHristo dati fide :  
 Vel universa tollit ,  
 Vel flagra dura mollit ,  
 Servatqve nos piè .

6.

Ob dona tam paterna ,  
 Per Filium tuum  
 Freqventer erogata ,  
 Te psallimus DEum !  
 Porroqve poscimus ,  
 Largire faustitatem ,  
 Averte vastitatem ,  
 Sit vietus omnibus .

## II.

**In Nativitate CHristi.**

*Lobt GOTT Ihr Christen all zugleich.*

**SEROTINO Interpretē.**

*Sed emendat. à J. H. PAULLI.*

Metro Jambico dimetro acatalesto, &  
brachycatalesto: dicolo.

## 1.

**D**Eum piis, ô gens pia,  
Extolle laudibus!

Cœli recludit atria,

Datusque Filius,

Datusque Filius.

## 2.

Procedit è sinu Patris

Infantulus tener,

Præsæpe nudus ad Bovis

Et sternitur miser. (bis.)

## 3.

Vires suas abscondidit

Agendo Subditum.

Servile corpus induit

Creator omnium. (bis.)

## 4.

Vult lac, sibi sit, uberum

Matris suæ, cibus:

Et Angelis fert gaudium,

Ramus Davidicus. (bis.)

## 5.

E stirpe cujus surgeret

In fine seculi:

Per quem JEHOVA conderet

Regnum, gregem sibi. (bis.)

III.

6. In.

6.

Inexplicabili vice  
 Fit sanguis & caro.  
 Tandemque nos in æthere,  
 Reddet pares DEO. (bis.)

7.

Hic Servus est, Heros ego,  
 Mirabilem vicem !  
 Humanior dic quomodo  
 JESus foret qvidem. (bis.)

8.

Sic rursus horto limina  
 Patent Edenio,  
 Abestque Cherub. Maxima  
 Sit usqve laus DEO. (bis.)

## III.

## De Passione CHristi.

*O Wir armen Sünder.*

J. H. PAULLI Interpret.

Metro Anacreontico, & Jambico dimetra  
 brachycatalecto, quorum hoc in se-  
 cundâ regione heic etiam spon-  
 daum recipit; dico lo.

Rhythmis non observatis.

I.

**O** Nos nimis misellos !  
 Ceu quorum criminâ,  
 Quæs gignimur, quibuscum  
 Et cuncti nascimur,  
 Sunt causa tot malorum  
 Et tot discriminum,

G 5

Ge

Ut simus inde mortis  
Aeternæ Subditi.

*Kyrie - Eleyson! CHrisste - Eleyson!*  
*Kyrie - Eleyson!*

2.

A morte liberari  
Labore proprio.  
Immensa qvum vetaret  
Peccati copia,  
Nec posset expiari:  
Tunc ipsum Filium  
DEI fuit necesse  
Pro nobis emori.

*Kyrie - Eleyson! &c.*

3.

Si non proinde CChristus  
Venisset cœlitùs,  
Et nostra factus esset  
Caro, nec mortuus  
Fuisset, ut reatus  
Nostros exstingveret,  
Sucumberemus omnes  
Damnati perpetim.

*Kyrie - Eleyson! &c.*

4.

Hanc interim paternam  
Nobis clementiam  
DEus dat, idqve gratis,  
Et CChristi Filii  
Amore, pro salute  
Qui semet omnium,  
Crucis lubens acerbam  
In mortem tradidit.

*Kyrie - Eleyson! &c.*

5.

Solamen illud esto  
Nobis peccantibus,

Nc

Ne mortis aut gehennæ  
Metus nos obruat.  
Nam prorsus è periclis  
Nos C<sup>H</sup>ristus eruit.  
Colendus absqve fine  
Seclorum seculis.  
*Kyrie - Eleyson ! &c.*

6.

Ergo DEUM sit premium  
Semper laudabimus.  
Patremqve , Filiumqve ,  
Et Sanctum Spiritum  
Orabimus , benignè  
Ut nos custodiat ,  
Non auferatqve nobis  
Verbum sanctissimum !  
*Kyrie - Eleyson ! &c.*

## IV.

De Matre C<sup>H</sup>risti sub Cruce.

## CANTICUM

*Vet. Ecclesiæ.*

Metro Trochaico dimetro acatalecto  
& catalecto : *dicolo.*

Rhythmis observatis ,  
sed neglectis quantitatibus.

I.

**S**tabat Mater dolorosa  
Juxta crucem lacrimosa ,  
Dum pendebat Filius ,  
Cujus animam gementem  
Contristantem , & dolentem  
Pertransivit gladius.

G 6 2, O quam

2.

O qvām tristis & afflīcta  
 Fuit illa benedicta,  
 Mater Unigeniti!  
 Qvæ mōerebat, & dolebat,  
 Et tremebat, qvum videbat  
 Nati pœnas incliti.

3.

Qvis est homo qvi non fleret,  
 CHristi Matrem si videret  
 In tanto supplicio?  
 Qvis non posset contristari,  
 Piam Matrem contemplari,  
 Dolentem cum Filio?

4.

Pro peccatis suæ gentis  
 JESUM vidi in tormentis,  
 Et flagellis subditum:  
 Vedit suum dulcem Gnatum,  
 Morientem, desolatum,  
 Emittendo Spiritum.

5.

JESU, precor istud agas,  
 Crucis tuæ fige plagas  
 Cordi meo validè!  
 Tui cordis vulnerati  
 Tam parati pro me pati  
 Pœnas mecum divide!

6.

Fac me verè qvoqve flere,  
 Matri tuæ condolere,  
 Donec ego vixero:  
 Fac me juxta Crucem stare,  
 Illi nam me sociare  
 In planctu desidero.

7. Fac

7.

Fac me cruce custodiri,  
 Morte tuâ præmuniti  
     Confoveri gratiâ,  
 Qvando corpus morietur,  
 Fac ut animæ donetur  
     Paradisi gloria!

## V.

De Sepultura C<sup>H</sup>risti.

*O Traurigkeit! O Herzleyd!*

JOH. RISTII.

SEROTINO *Interprete.*

Sed emendat. à J. H. PAULLI.

Metro Jambico monometro acata-  
 lecto, & Anacreontico, item: Trochaico  
 dimetro catalectic, & brachycata-  
 lecto: quadricolo.

Rhythmis probè observatis,  
 sed neglectis passim quantitatibus.

## I.

**O** maximum  
 Cordolium!  
 Quid hocce? Quid patratur?  
 Filius DEI Patris  
 Ecce funeratur.

## 2.

**O** rem gravem,  
 DEI necem!  
 Is in crucem levatur,  
 Nos amans, cœlestia  
 Morte qui lucratur.

G 7

3. Ter.

3.

Terrigena  
 Hoc, en! tua  
 Peccata procrearunt,  
 Tanta dum te crimina  
 Inferis dicarunt.

4.

Sponsus tuus,  
 Sanctissimus  
 Agnus DEI, cruxore  
 Tinctus est, quem largiter  
 Fudit ex amore.

5.

O labium  
 Dulcissimum!  
 Sic quando verberaris  
 Jure condolentiam  
 Omnia mereris.

6.

O Virginis  
 Amabilis  
 Fuerit tui calorem  
 Sangvinis qui ponderat  
 Sentiet dolorem.

7.

Beatus is  
 Prae ceteris,  
 Qui corde servat imo,  
 Qvomodo Rex Glorie  
 Conditur sepulchro.

8.

JESU, mea  
 Spes unica,  
 Te lacrimis rogabo,  
 Sim tui non immemor  
 Donec heic peribo.

VI<sup>a</sup> CAN.

VI.

**CANTICUM***Vet. Ecclesiae.***Ad Spiritum Sanctum.**

Metro Trochaico dimetro catalepto :  
*monocolo.*

Rhythmis observatis, sed negle-  
 ctis quantitatibus.

1.

**V**eni Sancte Spiritus,  
 Et emitte cœlitus  
 Lucis tuæ radium.

2.

Veni pater pauperum,  
 Veni dator munerum,  
 Veni lumen cordium !

3.

Consolalor optime,  
 Dulcis hospes animæ,  
 Dulce refrigerium.

4.

In labore reqvies,  
 In æstu temperies,  
 In fletu solatium.

5.

O Lux beatissima,  
 Reple cordis intima  
 Tuorum fidelium !

6.

Sine DEI Numine  
 Nihil est in homine,  
 Nihil est innoxium.

7.

Laya qvod est sordidum,

Riga

Riga qvod est aridum ,  
Sana qvod est saucium,  
8.

Flecte , qvod est rigidum ,  
Fove , qvod est frigidum ,  
Rege , qvod est devium.

9.  
Da tuis fidelibus ,  
In te confidentibus ,  
Sacrum Septenarium.

10.  
Da Virtutis meritum ,  
Da Salutis exitum ,  
Da perenne gaudium !

## VII. De Vanitate rerum humanarum B. JACOPONI.

Metro Jambico dimetro brachycatalesto:  
*monocolo.*

Rhythmis alternis . sed neglectis  
quantitatibus.

**C**ur mundus militat  
Sub vanâ gloriâ.  
Cujus prosperitas  
Est transitoria ?  
Tam citò labitur  
Ejus potentia  
Qvam vasa figuli ,  
Qvæ sunt fragilia.

2.  
Plus crede literis  
Scriptis in glacie ,

Qvam

Qvàm mundi fragilis  
Vanæ fallaciæ :  
Fallax in præmiis ,  
Virtutis specie ,  
Qvi nunqvm habuit  
Tempus fiduciæ.

## 3.

Credendum magis est  
Vitris fallacibus ,  
Qvàm mundi miseric  
Prosperitatibus ,  
Falsis insomniis  
Et vanitatibus ,  
Falsisqve studiis  
Et voluptatibus.

## 4.

Dic , ubi Salomon  
Olim tam nobilis ,  
Vel nunc ubi Samson ,  
Dux invincibilis ,  
Vel pulcher Absolon  
Vultu mirabilis.  
Vel dulcis Jonathan  
Multùm amabilis ?

## 5.

Qyò Cæsar abiit  
Celsus imperio ,  
Vel dives splendidus  
Totus in prandio ?  
Dic ubi Tullius  
Clarus eloqvio ,  
Vel Aristoteles  
Summus ingenio ?

## 6.

Tet clari proceres ,  
Tot retrò tempora ,  
Tot ora Præfulum

Tot

Tot Regna fortia :  
 Tot mundi Principes ,  
 Tanta potentia ?  
 In istu oculi  
 Clauduntur omnia.

7.  
 Qvam breve festum est  
 Hæc mundi gloria :  
 Ut umbra hominis ,  
 Sic ejus gaudia.  
 Qvæ semper subtrahunt  
 Æterna præmia ,  
 Et ducunt hominem  
 Ad dura devia.

8.  
 O esca vermium ,  
 O massa pulveris ,  
 O flos , ô vanitas ,  
 Cur sic extolleris ?  
 Ignorans penitus  
 Utrum cras vixeris ,  
 Bonum fac omnibus ,  
 Qyamdiu poteris.

9.  
 Hæc mundi gloria  
 Qvæ magni penditur ,  
 Sacris in literis  
 Flos foeni dicitur :  
 Ut leve folium .  
 Qvod vento rapitur ,  
 Sic vita hominum  
 Luci subtrahitur.

10.  
 Nil tuum dixeris  
 Qvod potes perdere :  
 Qvod mundus tribuit  
 Intendit rapere.

Sue

Superna cogita ,  
 Cor sit in æthere.  
 Felix qvi potuit  
 Mundum contemnere.

## VIII.

**Hymnus matutinus**

*Ich dancke Dir schou.*

JAC. HENR. PAULLI

*Interprete.*

Metro Jambico dimetro acatalesto , &  
 Anacreontico: *dicolo.*

1.

**G** Rates Tibi , per Filium ,  
 Volo , DEus , dicare ,  
 Qvod me diéi redditum  
 Dignatus es beare.

2.

Qvâ nocte me circumstetit  
 Caligo , crimen omne  
 Et conscientia circumdedit ,  
 Ut perderet malignè.

3.

Hinc oro toto pectore ,  
 Peccata tolle cuncta ,  
 Qvæ semper à me pessimè  
 Dum vivo , sunt patrata.

4.

Hâc luce porrò protege  
 Multis malis ligatum ,  
 Non Hostis ut me callidè  
 Deturbet in barathrum.

5.

DEI voluntas dirigat  
 A me qvod exeqvendum :

Et

Et omne prorsus auferat  
Mihi qvod imputandum.

6.

Nam do Tibi , cum corpore ,  
Mentem , DEus , precorqve  
Qvâvis in ægritudine  
Adsis , juvesqve promtè.

7.

Ne me , satis jam debilem ,  
Pessundet Hostis Orbis :  
Si qvippe Tu non fers opem .  
Expers ero vigoris.

8.

Summo Patri sit gloria ,  
Cum Filio coævo ,  
Et Flamini , per secula !  
Soli DEo Tri - Uni.

## IX.

## Hymnus meridianus

*Singen Wir aus Hertzen Grund.*

**SEROTINO Interpretē.**

Sed emendat. à J. H. PAULLI.

Metro Trochaico dimetro catalesto :  
*monocolo.*

**C** I.

Ordis ex sententiâ  
Jam canemus Cantica !  
Nam DEus cibaria  
Dans cuivis optima ,  
    Singulari gratiâ ,  
Cuncta nostra corpora  
Hâc cibavit horulâ.

2. Hunc

2.

Hunc Herum sed laudibus  
 Servuli dum tollimus,  
 Charitatem discimus  
 Ejus, & cognoscimus,  
 Membra qvorum carnibus  
 Facta sunt & ossibus,  
 Differuntqve vultibus.

3.

Fœtus exit qvam citè,  
 Est parata pastio,  
 Ventre Matris intimo  
 Fingiturqve sedulò:  
 Parvulus sit Embrio  
 Is licet, tamen suo  
 Neutiqvam caret cibo.

4.

Dat DEus, proventuum,  
 Copiamqve fructuum.  
 Alta stillant montium,  
 Terra præbet pabulum:  
 Dulce nec minus merum,  
 Atqve panis, omnium  
 Esca fit mortalium.

5.

Unda pisces dat bonos,  
 Hiqve mensis sunt honos.  
 Ova ponit, pullulos  
 Ales excludens suos:  
 Qvos DEus, juvenculos  
 Tum boves, & hinnulos,  
 Esse vult nobis cibos.

6.

Sic Eum si prædicas,  
 Spiritum siqve invocas  
 Prorsus hæc ut imbuas,  
 Inqve CHristo servias.

Et

Et lubens obedias,  
Hoc DEO Tu debitas  
More psalles Gratias.

7.

Gratias has psallimus,  
Qui famen sedavimus,  
Teqve Patrem plauſibus,  
Et tuum concentibus  
Nomen invocabimus:  
Atqve lætis cordibus  
Sic AMEN cantabimus.

## X.

## Hymnus Vespertinus

*Werde munter mein Gemüthe.*

JOH. RISTII.

J. H. PAULLI *Interprete.*

## MELODIA GERMANICA.

Metro Trochaico dimetro acatalesto,  
& catalesto: *dicolo.*

I.

Siste somnum, Mens amica,  
Excitatis Sensibus!  
Laudibus sunt efferenda  
Quæ tibi dedit DEus,  
Luce totâ quando me  
A malorum pondere  
Liberavit, & levavit;  
Satanam retrò fugavit.

2.

Gratias Tibi canemus,  
Auctor almæ gratiæ!  
Qvippe, res omnes habemus  
Absolutas prosperè:

Su-

Sustulisti crima,  
Atque providentia  
Nos tuā circumdedisti,  
Hostibus gravis fuisti.

## 3.

Nulla lingua proloqvetur  
Tam beata munera:  
Syada Rhetoris siletur,  
Præ bonorum copiâ:  
Dona tanta sunt tua,  
Terminô carentia:  
Per tuam directionem  
Dæmonis declino fraudem.

## 4.

Ecce! lux hæc nunc recedit,  
Tristis & nox ingruit,  
Sol in æqvor se recepit,  
Et sub undis occidit.  
O Parens, assistito  
Splendidô solatiô,  
Frigidum cor ut calescat,  
In tenébris nec labascat.

## 5.

Juste Judex, gratiosè  
Ah! remitte singula  
Qyæ patravit otiosè  
Cor! Sed aufer toxica,  
Satanæ ludibriô  
In Stygem qvæis irruo.  
Unus es, qvi liberare  
Me vales, & sospitare.

## 6.

Castra sancta dereliqvi,  
Hem! revertor protenus:  
Abstulit sed hoc iniqui,  
Morte, Filius tuus.

Non

Su-

Non negabo debita;  
Sed DEI Clementia  
Major est omnino factis  
Pessimis, à me peractis.

7.

Sempiterna lux, piarum  
Tuqve splendor mentium,  
Hujus, atqve plurimarum  
Fax mihi sis noctium,  
Dux & in caligine!  
Usque tecum permane!  
Nam repletus sum dolore,  
Sed tuo felix amore.

8.

Hostis infernalis, euge!  
Qui tenébris præsidet,  
Fortiter disrumpe rete,  
Anxium ne territet.  
Vera lux! ne transcas,  
Meqve semper protegas.  
Quamdiu Te possidebit  
Cor meum, nihil timebit.

9.

Illud ipsum, lassitudo  
Qvum soporem corpori  
Procreabit, esse præstò  
Debet, à Te corrigi  
Ut queat. Solum mea  
Offerant insomnia  
Te mihi, qui somnolentus  
Te vereri sum paratus.

10.

Hâc mihi da, posse tutum,  
Nocte me qviescere:  
Et benignè fac, moleustum  
Si quid est, discedere.

Vita,

Vita, Conjux, Liberi,  
Sicut omnes proximi,  
Qvin & hostes, qvæque parta,  
Cuncta sunt tibi dicata.

## 11.

Terror omnis hinc abesto,  
Omne damnum dimove;  
Noxius nec morbus esto:  
Martis arma projice!  
Ignis, Unda, pessimâ  
Cumqve pestilentia,  
Mors, procul sint. Tuqve contrâ  
Spiritum, Corpusqve scrya!

## 12.

O DEus! preces piorum  
Audias, & subleves:  
CHriste JESU, Rex honorum,  
Qui mihi solamen es,  
Auctor & Dux omnibus!  
Tuqve Sancte Spiritus,  
Utriusqve dulce flamen,  
Qvod rogo præstabis! AMEN.

---

FINIS DEC. IX.

---

H

DE-

**DÉCAS DECIMA**  
**H Y M N O R U M**

translatorum à SEROTINO,  
sed emendatorum à J. H. PAULLI.

I.

**Hymnus matutinus**

*Aus meines Hertzen Grunde.*

Metro Anacreontico, & Jambico  
dimetro brachycatalectic: *dicolo.*

1.

**E** Pectoris profundo  
Grates tibi fero,  
Diluculo sub isto,  
Et donec heic ero.  
Rex JOVA cœlitum!  
Tua summa laus, tuusque  
Honor viget, decusque,  
Gnatum per unicum.

2.

Tuâ benignitate,  
Tot in periculis,  
Me labe noctis atræ  
Qvòd vindicaveris,  
En! supplico tibi:  
Culpam mihi remitte,  
Per tempus omne vitæ  
Qvâ te lacestii!

3.

Totâ simulqve luce  
Me fortis assere  
A Satanæ furore,  
Omniqve criminè:  
Ab igne, fluctibus,

Intimiâ , fameqve ,  
A vinculis , citæqve  
A mortis iætibus.

4.

Corpus , Cor , ipsa Vita ,  
Salus domestica ,  
Opesqve , sint amicâ  
Sub dexterâ tuâ ,  
Et omne , qvô fruor :  
Fratres , Parenqve , cuncti  
Propinqvitate juncti ,  
Te dante qveis juvor.

5.

Stipatus Angelorum  
Fac usqve sim choris :  
Ne Dæmonum malorum  
Irretiar plagis ,  
Per fraudulentiam  
Qui me freqventer angunt ,  
Corpusqve , corqve tangunt ;  
Ut turpiter cadam.

6.

Deliberationes ,  
Arbitrio DEI ,  
Et expeditiones  
Nitantur ! ac Ei  
Omnes obedient :  
Mens , membra , tota vita ,  
Illijs experta  
In iussa transeant.

7.

His AMEN addo lætus ,  
Nil corde fluctuans ,  
Me JOVA qvin benignus  
Conservet : allevans  
Tendoqve dexteram ,  
Et inchoo laborem ,

H a.

Jux.

Juxta vocationem  
Divinitus datam.

8.

Nunc gratiis colemus  
Ac laudibus DEum !  
Datore qvô tenemus  
Plus mille munerum.  
Et qvæsumus piè,  
Ut sede nos supernâ,  
Donetqve sempiternâ  
Beatitudine.

## II.

## Gloria in Eccelfis DEO.

*Allein Gott in der Höh sey Ehr.*

Metro Jambico dimetro acatalesto,  
& Anacreontico : dicolo.

I.

**S**it laus in excelsis DEO,  
Gratesqve pro favore!  
Ullo nihil nam seculo  
Nobis potest nocere.  
Dum nos Tri-Unus respicit,  
Pacemqve terris intulit,  
Nunc finis est duelli.

2.

Grates agendo Te, PATER,  
Laudamus, & precando:  
Constans, potens, & Arbitr  
Æternus es, regendo.  
O Numen absqve termino !  
Qvodcunqve vis fit ilicò :  
Te Rege nos beamur.

3. O NA

3.

O NATE PATRIS unice,  
Sedator ô seyeræ,  
Tot perditorum criminæ  
Qvæ concitatur, iræ!  
Qui sanctus Agnus es DEI,  
Non immemor periculi  
Manebis usqve nostri.

4.

Solator alme, SPIRITUS,  
Summum bonumqve! tutos  
A Dite fac nos, qvæsumus,  
CHristi cruore lotos,  
Et propter ejus vulnera  
Averte qvæqve noxia!  
Hoc seriò precamur.

## III.

### De Vitâ Christiano dignâ.

*Ich ruff zu dir Herr JEsu Christ.*

Metro Jambico dimetro acatalepto, &  
Anacreontico, item: Trochaico mo-  
nometro acatalepto, & Jambico  
dimetro brachycatalepto:  
*polycolo.*

## I.

**T**E, CHriste, supplex invoco,  
Audi precor vocantem:  
Præbeqve clemens obsecro  
Nunc te mihi faventem!  
Rectâqve faxis semitâ  
Me semper ambulare,  
Et manere:

H 3

Tum

Tum proximo , tua  
Ad iussa , cominodare.

2.

Id amplius rogo , DEus ,  
Qvod non neges petenti ,  
Ne nempe siam dedecus ,  
Spe ducar aut inani :  
In fine vitæ maximè  
Ut te fide prehendam ,  
Nec reponam  
In me potissimè  
Spem , postmodum dolendam .

3.

Da me , lubenti pectore ,  
Omnes iniqvitates  
Sic hostibus remittere ,  
Sicut mihi remittes .  
Vitam novam concedito ,  
Novam simulqve mentem ,  
Te seqwentem :  
Verboqve pascito  
Me , fulcens trementem .

4.

Agat pavor nec devium ,  
Cupido nec proterva ,  
Tibi sed usqye deditum  
Dextrâ potente serva !  
Nam qvæ merâ das gratiâ ,  
Nemo potest creare ,  
Nec parare ,  
Hereditariâ  
Nec lege postulare .

5.

In continenti prælio ,  
Dum versor , ô minorem

JE-

JEſu juva! cohæro  
 Tibi: valentiorem  
 Me redde! Sortis anxiae  
 Qvum sœvient procellæ,  
 Tu repelle!  
 Fas esto credere  
 Te posse teqve velle.

## IV.

## In rebus angustis.

*In dich hab Ich gehoffet HErr.*

Metro Jambico dimetro & monometro,  
 acatalectis, & Anacreontico:  
 tricolo.

## I.

IN te locatur ſpes mea,  
 Rerum Parens, infamia  
 Fac ne noter pudendâ!  
 Qvæſo, tuæ  
 Me gratiæ  
 Sinu fovente ſerva!

## 2.

Aurem benignam supplici  
 Festinus admove preci,  
 Accurre liberatum!  
 In anxio  
 Metu cubo;  
 Me ſolve terrefactum!

## 3.

Adiſte, Protector DEus,  
 Et cincta ſis Arx mœnibus,  
 Ad ritè dimicandum  
 In hoſticam  
 Vim, concitam,  
 Ad damna utrinqve dandum!

H 4

4. Tu

JE-

4.

Tu vis , salus , rupes mea ,  
 Sacrâ docente paginâ ,  
 Tu robur , umbo , scutum :  
 Qvis ad tuum ,  
 Se perditum ,  
 Nollet parare nutum ?

5.

Mendaciis , per omnia ,  
 Fallaciarum retia .  
 Tendit dolosa Mundus :  
 Tu me rege ,  
 Nec has sine  
 Fraudes habere pondus !

6.

Depono spiritum , DEus ,  
 Meum tuas nunc in manus ,  
 Fidelium Patronे ,  
 Non horulæ  
 Sub ultimæ  
 Me deserat agone !

7.

Sit laus , honor , decus , Patri ,  
 Nato , simulqve Flamini ,  
 Et sit piis levamen :  
 Vires novas  
 Det Trinitas ,  
 Ne subjugemur ! AMEN .

V. Ode

## V.

## Ode Pœnitentialis

*Ach Gott und Herr.*

Metro Jambico monometro acatalesto,  
& Anacreontico : dicolo.

## I.

**A**H! mi DEus,  
Quantum scelus

Mentem meam molestat!

Nam nil opis  
Angustiis

Isthoc in Orbe restat.

## 2.

Ad ultimas  
Licet plagas  
Mundi patentis irem :

Qværens meis  
Finem malis,

Eum nec invenirem.

## 3.

Te, te peto,  
Mihi reo  
Ignosce perpetratum !  
Iram leva :  
Me libera ,  
In Filio renatum !

## 4.

Sin judicas  
Meum nefas  
Qvod poena conseqvatur :  
Heic fulmina ,  
Illic bea ,  
Heic omne puniatur.

## 5.

Da perferens ,  
Et obseqvens

H 5

Cor,

Cor, ac remitte culpam :  
 Ne funditus ,  
 Qvod s̄epius  
 Fit, me strependo perdam.

6.

Me ducito  
 Nutu tuo !  
 Stat cuncta sustinere ,  
 Dum me tuō  
 Non in polo  
 Vultu sinas carere.

7.

Ut in cavam  
 Arbusculam  
 Sc̄e tristis ales abdit ,  
 Qvum nubila  
 Sunt æthera ,  
 Homo , pecus timescit :

8.

JESU , tuum  
 Vulnus sacrum  
 Sic & mihi patescit.  
 Mors , & nefas :  
 Spirent minas ,  
 Mea mens ibi qviescit.

9.

Heic hæreo ,  
 Nec avolo ,  
 Qvam corpus atqve mentem  
 Hinc ad DEum ,  
 Et in polum  
 Præmisero nitentem.

10.

Nunc triplici  
 Laus Numinis ,

Qvod

Quod est meum levamen :

Nec ambigo ,

Fidens DEO ,

Qvin sim beatus. AMEN !

## VI.

## Ode Consolatoria

*Von GOT will Ich nicht lassen.*

Metro Anacreontico, & Jambico dimetro  
brachycatalesto : dicolo.

## I.

**N**On à DEO recedam ,  
Non deserente me !  
Prælucet ille tœdam  
Per invium viæ :  
Tenetqve brachio ,  
Crepusculo sub imo ,  
Diluculoqve primo ,  
Qyocunqve sim loco.

## 2.

Qyum mobilis fugatur  
Mortalium favor ,  
Constanter inimoratur  
DEI potens Amor :  
Necessitatibus  
In omnibus juvantis ,  
Probroqve liberantis ,  
Mortisqve legibus.

## 3.

Illum gravi qvietus  
Sperabo tempore.  
Nec poenitet : Benignus  
Potest repellere

H 6

Ad.

Qvod

Adversa qualibet.  
 Mens, Corpus, atque Vita,  
 Manent DEO dicata,  
 Fiat quod is volet.

4.  
 Ipsí placebit unum  
 Mihi quod utile:  
 Cunctis favendo, CHristum,  
 Eiusque nomine,  
 Nobis dat omnia,  
 Qvæ corpus atque mentem  
 Alunt, DEum potentem  
 Laudate sidera!

5.  
 Hunc laudet ore, totâ  
 Et mente, qvilibet!  
 Qvâ prædicatur, Hora,  
 Est sancta scilicet  
 Hæc sola: nám perit  
 Qvod tempus haut perenni  
 Impenditur Saluti,  
 Ut cûiqve competit.

6.  
 Qvum mundus hic peribit,  
 Mundique gloria:  
 Pessum minus nec ibit  
 Opum potentia.  
 A morte, tradimur,  
 Et ossa nostra, terræ,  
 Donec, DEo volente,  
 Resuscitabimur.

7.  
 Beata mens refertur  
 In Abrahæ sinum,  
 Et Corpus innovatur,  
 Expersqve criminum

Ip-

Infans crit DEI :  
 Hereditate , qvâ nos  
 Dæmon neqvit , receptos ,  
 Vtare perfrui .

8.

Ergo , mihi merenti  
 Heic si qvid accidit ,  
 Seclo tamen seqventi  
 Nil est , qvod impedit  
 Æterna gaudia .  
 Tunc absqve fine , CHristum  
 Qvòd noverim , per istum ,  
 Parata gloria .

9.

Hæc dona PATRIS almi ,  
 Creantis omnia ,  
 Et FILII cœævi ,  
 Cui cuncta subdita ,  
 Sunt , atqye SPIRITUS ,  
 Nos in fide regentis ,  
 Cœloqve præparantis ,  
 Cui laus , Honos , ducus !

## VII.

**Alia Ode Consolatoria**  
 tempore Pestis.

*Ach lieben Christen seyd getrost .*  
 Metro Jambico dimetro acatalecto , &  
 Anacreontico : *dicolo.*

I.

**A**H ! state CHristo dediti ,  
 Cedant procul pavores !  
 Nos dum premit manus DEI ,  
 Sic intonemus omnes :

H 7

Ob-

Ip-

Obnoxii sumus gravi  
Pœnæ, rei sunt singuli,  
Exemptus est nec ullus.

2.

Tuæ sacramur dexteræ,  
DEus, Pater fidelis:  
Nostræ penes Te sunt viæ,  
Nil restat heic egenis,  
In hâc moramur dum casâ  
Nos indies premunt mala,  
Bonum perenne tecum.

3.

Non grana surgunt tritici,  
Tellure nî subacta,  
Sic ossa nostra, sint nisi  
In pulverem redacta,  
Non induuntur gloriâ,  
CHristus suâ qvam semitâ  
Paravit ad Parentem.

4.

Mortem qvid extimescimus  
Hôc ergo nunc in Orbe?  
Mori necesse est omnibus.  
O qvam beatus ille,  
Cum Simeone lumina  
Qui claudit, atqve crimina  
Deflens ad astra tendit.

5.

Mentem tuam sic dirige  
Et corpus, Angelorum  
Ut gaudeas tutamine,  
Fidens DEO, bonorum:  
Gallina mater ut suos  
Abscondit alis parvulos,  
Sic nos tegit JEHOVA.

6. Seu

6.

Seu vita, seu mors imperat,  
Sumus tamen Tonantis.  
CHristi cruor nos irrigat,  
Vim Satanæ fugantis.  
Terris Adamus intulit,  
CHristus necem sed abstulit :  
Sit laus DEo perennis !

## VIII.

Ode Pœnitentialis  
tempore Belli.

*Du Frieden Fürst HErr JEsu Christ.*

Metro Jambico dimetro acatalecto, &  
brachycatalecto, *item*: monometro  
acatalecto, & Anacreontico :  
quadricolo.

I.

**O** CHriste JEsu, præpotens,  
Et verè Homo - DEus,  
Pacisqve Dux, opem ferens  
Gratam gementibus !  
Nunc omnium  
Patrem, tuum  
Per nomen, invocamus.

2.

Periclitamus admodùm  
Tot in tumultibus :  
Qui porrigat nec est manum  
Te præter, hinc bonus  
Patrem roges  
In supplices  
Ne sævus inychatur.

3. Mc-

3.  
 Memor maneto muneris,  
 Pacisqve Principem  
 Cunctis agas & singulis,  
 Misertus hanc vicem.  
 Qvò postmodùm  
 Verbum tuum  
 In pace prædicetur !

4.  
 Pœnas meremur has qvidem,  
 Ac sustinebimus :  
 Sed gratiâ Te divitem  
 His anteponimus.  
 Ergo netas  
 Clemens tegas  
 Nostrum, tuo favore !

5.  
 Mali genus miserrimum  
 Est Pestilentia :  
 Sed omnium teterimum  
 Sunt bella tristia.  
 Heic spernitur,  
 Nec cernitur,  
 Æqvum qvid aut iniquum.

6.  
 Lex qvæque flocei penditur,  
 Et castimonia :  
 Verbi tuiqve temnitur  
 Obedientia.  
 Hinc nos juva,  
 Has & fuga  
 Tumultuationes !

7.  
 Reclude mentes omnium  
 Vi Spiritûs tui,  
 Nascatur ob ludibrium  
 Ne qvid periculi !

Nam

Nam solus es  
Tu, qui potes  
Hæc cuncta comparare.

## IX.

## Pro Eucharistia.

*Was mein Gott will, das gescheh allzeit.*

Metro Jambico dimetro, & monometro acatalectic, & Anaccontico:  
tricolo.

## I.

Fiat DEus quod destinat,  
Ejus valet voluntas:  
Hos namque promptus adjuvat  
Qui spes alunt profundas.  
Opem parat,  
Crucem levat:  
Solamen est & Orbis.  
Fidens DEO,  
Summo bono,  
Est tutus à periclis.

## 2.

DEus mihi fiducia,  
Spes, vita, portus audit;  
Decreta cuius seria  
Mens obseqventer haurit.  
Verbō patet:  
Notos habet  
Meosque scit capillos.  
Nos protegit,  
Ac dirigit,  
Et servat universos.

## 3. Sed

3.

Sed qvando jam , per aspera ,  
 Ad astra commeabo ,  
 Qvum fert DEI sententia ,  
 Nullus recalcitrabo .

Ipsi meum  
 Hunc Spiritum  
 Dicabo transiturus .  
 O mî DEus ,  
 Mors , & scelus ,  
 Tibi subest & Orcus :

4.

Adhuc precabor unicum ,  
 Qvod , spero , non negabis .  
 Qvum nempe Dæmonis dolum  
 Sentisco , tutor adfis !  
 Meqve adjuva ,  
 Malum veta ,  
 Sanctum sit usqve Nomen :  
 Qvod qvi colit  
 Non interit .  
 His addo latus AMEN !

## X.

## In agone &amp; luctâ mortis.

*Freu dich sehr , ô meine Seele .*

Metro ut suprà Dec. IV. 5.

I.

**M**Ens triumphando triumpha ,  
 Mœror omnis desinat !  
 Hâc enim te CHoristus horâ  
 Valle mundi sevocat .  
 Lætior per tristia  
 Ibis hinc ad prospera ,

Qvæ

Qvæ nec auris hausit unquam,  
Suntqve desitura nunquam.

2.

Perdius pernoxqve clamo,  
Et lego manum meam,  
Ut DEUS me fortis hamo  
Abstrahat, per gratiam.  
Ceu Viator anxiæ  
Terminum qværit viæ,  
Sic ego jam nunc anhelo,  
Hinc & emigrare tento.

3.

Nam velut spinæ Rosarum  
Inseruntur floribus,  
Sic piorum gressus, malarum  
Cincta rerum casibus,  
Vivit: inconstantia  
Nec maris tam cognita,  
Tantus est nec motus auræ,  
Qvanta nostræ cura vitæ.

4.

Mundus, & Dæmon, & Orcus:  
Culpa, Sangvis, & Caro,  
More nostros sæpe sensus  
Inquietant pessimo,  
Angor inter cetera:  
Vita nostra crux mera.  
Nascimur qvam mox, habemus  
Qvos dolores sentiamus.

5.

Qvum redux aurora surgit,  
Terminatur & sopor,  
Cura multiplex redibit,  
Et die totâ labor.  
Lacrumosus est cibus,  
Vescimur qvô crebrius.

Sub-

Subtrahit qvum Sol nitorem,  
Nil manet præter dolorem.

6.

Obsecro proinde, CHriste,  
Sempiterne Phosphore,  
Te mihi juvando siste,  
Qvi tuo sum sangvine  
Emtus, & lætissimè  
Da mihi discedere.  
Tu simul sis umbra, luxqve,  
Aura, callis, spes, Salusqve.

7.

Fac latus tuum patere,  
Hinc tuas ut mox qveam  
Per cicatrices abire  
In beatam patriam!  
Ad vireta cœlica,  
Qvò Latronis mens pia  
Evolavit, me vocato:  
Claritate recreato!

8.

Non litebit qvum videre,  
Visqye cessat aurium:  
Lingva cogitur silere,  
Organumqve sensuum  
Deficit, tu lux mea,  
Vita, porta, semita,  
Es tamen, Ductorqve, lucem  
Ergo me duc ad perennem.

9.

Spiritus curru vehatur  
Eliam qvi sustulit:  
Et ab Angelis feratur  
Lazarus qvò transit!  
In sinu cubet tuo,  
Delibutus gaudio.

Cor-

Corpus hoc dum suscitetur,  
Cumque eo redintegretur.

10.

Mens triumphando ttiumpha,  
Jubilando jubila !  
Hâc enim te C<sup>H</sup>ristus horâ  
Trans poli fert sidera.  
Illiū præsentiam,  
Et videbis gloriam :  
Cum beatis jubilabis  
Semper, & Victrix ovabis.

---

*FINIS DEC. X.*  
*ET ULTIMÆ.*

---



Anne-

Annectuntur  
**DIMENSIONES**  
**METRORUM**

quæ in his Hymnis usurpantur.

**I**n gratiam & usum eorum, quibus forte Genera Carminum Lyricorum & Canticorum nota non sunt. Rei enim ignota, aut non satis intellecta, nulla cupido.

**NOTANDUM** verò

(1) **Monometrum**, sive **Binarium** vocari, qvod unam habet mensuram, i.e. duos simplices pedes, quibus interdum dimidius pes accedit, siq; pentasyllabum, & à tribus regionibus ternarium. Sed raro occurrit.

**Dimetrum**, Latinis **quaternarium**, dici, qvod quatuor pedes, sed duas mensuras habet.

**Trimetrum** sive **Senarium**, qyod tres habet mensuras, sed pedes sex. Qvumq; syllaba una in fine deest, fit **quinarium**; si superest **septenarium**.

Et sic porrò **Tetrametrum**, sive **Octonarium**.

**Hexametrum** autem, tantum à numero pedum vel regionum nomen adeptum est.

(2) Si

(2) Si verlus aliquis, e.g. Metri Jambici vel Trochaici *dimetri*, sex syllabis, vel potius tribus pedibus simplicibus constat, eum *Brachycataleatum*, Latinè *mutilum*, qvia totus pes in fine desideratur; si septem syllabis, vel pedibus tribus cum dimidio, *Cataleatum*, Latinè *semimutile*, qvia una syllaba tantùm deest ad pedis quarti perfectionem; si quatuor integris pedibus, vel totidem regionibus, *Acataleatum*, Latinè *perfectum*, ubi nihil deest nec superest; quumque nona syllaba, vel pes dimidius adhuc accesserit, *Hypercataleatum*, Latinè *exsuperantem*, qvia post quatuor modò dictos pedes una syllaba superest, nominari. Qvod ipsum quoque in *monometro*, *trimetro*, & *tetrametro* accidit.

## I.

JAMBI CUM *Dimetrum**brachycataleatum.*

1.	2.	3.
--	v -	v -
v -		

*Exempl. Syavissimo meo.**Dec. I. 5.*

II. Idem

## II.

Idem dimetrum

catalectum.

five

## ANACREONTICUM.

I.	2.	3.	4.
- -	v -	v -	-
v -	-	-	-
v v -	-	-	-

CHRISTUS necis severæ. Dec. I. 4.  
Malè conscius reqviro. Dec. II. 4.

v. 2. lin. 5. ♂ 6.

## III.

Idem dimetrum

acatalectum.

I.	2.	3.	4.
- -	v -	- -	v -
v -	v v v	v -	v v
v v -	-	v v -	-

DESCENDO summā siderum. Dec. I. 2.

## IV.

Idem dimetrum

hypercatalectum.

I.	2.	3.	4.	5.
- -	v -	- -	v -	-
v -	-	v -	-	-

QVISQVIS DEO confidit, omnes. Dec. I. 6.

## V.

Idem monometrum

acatalectum.

I.	2.
- -	v -
v -	-

O maximum. Dec. IX. 5.

VI. Idem

## VI.

**Idem monometrum**  
*hypercatalecticum.*

1.	2.	3.
v -	v -	-
- -	- -	-

Resuscitatus.

*Dec. III. 2. v. I. lin. 3.*

## VII.

**TROCHAICUM** Dimetrum  
*brachycatalecticum.*

1.	2.	3.
- v	- v	- v
- -	- -	-

Mortis ipse victor.

*Dec. III. 2. v. I. lin. 2.*

## VIII.

**Idem dimetrum**  
*catalecticum.*

1.	2.	3.	4.
- v	- v	- v	-
- -	- -	-	-

Dum sumus superstites.

*Dec. II. 10.*

## IX.

**Idem dimetrum**  
*acalecticum.*

1.	2.	3.	4.
- v	- v	- v	-
- -	- -	-	- -

Adjuvate me supremi.

*Dec. I. 1.*

I

X. Idem

Idem

## X.

**Idem monometrum  
acatalectum.**

1.		2.
-	v	- -

Et manere. *Dec. X. 3. v. 1. l. 1. 7.*

## XI.

**Idem tetrametrum  
catalecticum.**

1.		2.		3.		4.		5.
-	v	-	v	-	v	-	v	-
-	-	-	-	-	-	-	-	v

Corde natus ex Parentis, ante

6.		7.		8.
-	-	-	v	-
v	-	-	-	-

mundi exordium. *Dec. VIII. 5.*

## XII.

**CHORIAMBICUM  
Asclepiadéum.**

1.		2.		3.		4.
-	-	v	v	-	v	v

Festum nunc celebre magnaque  
gaudia. *Dec. VII. 4.*

E J U S D E M  
alia dimensio,  
propter casuram.

1.		2.		3.
-	-	v	v	-

Compellunt animos.

4.		5.
-	v	v

carmina promere, *Ibid.*

XIII. Idem

## XIII.

**Idem Glyconicum,**

*dimetrum brachycatalecticum.*

Tribus Asclepiadēis plerumque subjicitur.

1.	2.	3.
- -	- v v -	v -

Cœlorum pius Arbiter.

*Dec. VII. 4. v. 1. lin. 4.*

## XIV.


**S A P P H I C U M**

*Hendecasyllabum.*

1.	2.	3.	4.	5.
- v	- -	- v v	- v	- -

Quæ fuit, JEsu bone, tam severi.

*Dec. I. 3.*

**E J U S D E M**

*alia dimensio,*

*propter cænram.*

1.	2.	3.	4.	5.	6.
- v	- -	-	v v -	v -	-

Causa decreti, tibi culpa qualis. *Ibid.*

## XV.

**ADONICUM bipedale,**  
*tribus Sapphicis semper subjectum.*

1.	2.
- v v	- -

Quid meruisti? *Ibid.*

I z

**XVI. PHA.**

## XVI.

## PHALEUCIUM

*Hendecasyllabum.*

1.	2.	3.	4.	5.
- -	- v v	- v	- v	- -
- v				
v -				
v v				

Tot laudes tibi debitas qvis apta.

Dec. II. 8.

## XVII.

## ANAPÆSTICUM

*Partheniacum,  
dimetrum catalecticum.*

1.	2.	3.	4.
- -	v v -	v v -	-
v v -	--		

Jam moesta qviesce querela,  
Lacrumas suspendite matres.

Dec. VI. 10.

Est propriè posterior Hexametri  
Heroici particula.

## XVIII.

## ELEGIACUM.

Ut notissimum omnium, sic usitatissi-  
mum, & dicolon est,  
subjiciendo Hexametro Pentametrum  
dactylicum.Ut supra in ORAT. DOMINICA,  
post Dec. II. pag. 39.

NO.

∞ ∞

### NOTANDUM quoque

(3) Metrum vel Carmen, quod unā tantum formā constat, *Monocolon*: quod duabus, i.e. quum duo miscentur genera, *dicolon*: quod tribus, *tricolon*, &c. quodque pluribus *polycolon* appellari.

(4) à numero versuum vel linearum, aliud *distrophon*; vel *distichon*, ut in Elegiacis, & Distichis *Catonis* hexametris; aliud *tristrophon*, vel *tristichon*; aliud *tetraстrophon*, ut in Sapphicis & Choriambicis: item *hexastrophon*, ut supra *Dec. I. 5.* & *heptastrophon*, ut *Dec. I. 1.* &c. vocari.

(5) Cæsuram *trithemimerim* esse, quum post primum pedem syllaba tertia, vel si *Dactylus* adest, remanens, pedis seqventis est initium. Talis supra *Dec. II. 8.* & *Dec. V. 7.* occurrit. Sed Latinè exprimi nequit. Sin post duos pedes integros syllaba relinquitur, ut: *Arma Virumque canam*, est *Penthemimeris*, quum post tres, *Hephthemimeris*, &c.

(6) Sonum æqualem in fine versuum *rhythmum* nuncupari.

Denique (7) Metrum *Circulare* dici, cuius finis idem est cum principio, *vel*: quod eodem semper finit versu, & est Epanalepsos species. *E. g. Dec. II. 6.*  
*item: Dec. VIII.*

4. & 5.

---

F I N I S.

---



## EMENDANDA.

**I**N Dedicat. pag. 2. post lin. 4. inseratur:  
ET EMENDATAS,  
In Præfat. pag. 4. lin. 4. à fine,  
lege: percurritsem,  
In Ind. Lat. Dec. VII. 7. lege:  
Æterne, gratias tibi  
Pag. 2. lin. 16. lege:  
Ille nos & liberavit  
Pag. 31. lin. 7. lege:  
Ad sintqve temporis  
Pag. 46. §. VI. v. 1. & 2. ab init. lege:  
Huc ades, loco: Præsto sis,  
Quod etiam in Ind. Germ. sub Hymno  
Gott der Vater wohn uns bey,  
& in Ind. Lat. præced. suo loco  
emeudandum.  
Pag. 52. lin. 3. à fine, lege:  
Lampada sume:  
Pag. 55. lin. 12. & 13. lege:  
— DEus æqvitatis,  
Dux mihi lumen,  
Pag. 62. §. VI. in tit. post lin. primam,  
inserantur hæc verba Germanica:  
Ein feste Burg ist unser Gott.  
Pag. 148. v. 7. lin. 2. lege:  
Qui famem. —  
Dec. I. 1. in tit. lege, & insere:  
dimetro acatalepto: dicolo.  
Dec. I. 2. in tit. lege, & insere:  
dimetro acatalepto: monocolo.  
Dec. IV. 6. in tit. loco supercatalepto, lege:  
hypercatalepto: tricolo.  
Dec. V. 4. in tit. lege, & insere:  
passim neglectis.  
Dec. V. 8. in tit. insere, & lege:  
passim qyantitatibus.

Dec. VIII.



Dec. VIII. 6. post v. 2. insere :

7.

Mulieres ad tumulum,

Hale, Haleluja!

Portaverunt aromata.

Hale, Haleluja!

Et corri ge numeros versuum sqq. 4. 5. 6. 7.

---

Quantitates qvædam

## SYLLABARUM,

fortè rhythmorum causā neglecta,

pro lubitu aut retineri, aut emendari  
possunt, ut seqvitur :

Pag. 4. §. II. v. 1 lin. 4. lege :  
Nova scietis cetera.

Pag. 7. v. 5. lin. 1. lege :

Pro malis, eheu! —

Pag. 8. v. 14. lin. 2. lege :

— facilem repulsam,

Pag. 10. v. 6. lin. 1. lege :

Hoc illud, euge! festum,

Ibid. §. V. lin. ult. lege :

Is explicare —

Pag. 18. v. 2. lin. 4. lege :

— ne denegar.

Ibid. v. 4. lin. 4. lege :

Adesto, sis, periculis.

Pag. 21. lin. ult. lege :

Genti levamen adsis.

Pag. 26. v. 2. lin. 6. item :

Pag. 27. §. IV. v. 1. lin. 3.

Pag. 46. §. VI. v. 1. lin. 3.

loco criminibus lege : erroribus

Pag. 28. v. 4. lin. 6. lege :

Mersos & esse totos.

Pag. 30. v. 2. lin. 4. lege :

Et ordo qvod laborum

Pag. 38.

- 6.7.  
dari
- Pag. 38. v. 1. lin. 6. lege:  
Erroribus tamen pudet  
Pag. 42. v. 9. lin. 1. lege:  
— ne fallito, —  
Pag. 49. v. 1. lin. 2. lege:  
Si quando nosmet cernimus,  
Ibid. v. 5. lin. 3. & 4. lege:  
Adversitates, plurimis  
Obnoxii —  
Pag. 55. v. 6. lin. 2. lege:  
— volo visitare,  
Pag. 64. v. 2. lin. 7. & 8. lege:  
Peccata nostra comprimens  
Auctoritate Verbi,  
Pag. 65. v. 3. lin. 1. lege:  
Qui tuis parcit yitiis, & ægros  
Pag. 66. v. 15. lin. 2. lege:  
Sanctus æternum —  
Pag. 68. v. 3. lin. 2. lege:  
Ut ales impedita,  
Pag. 72. v. 3. lin. 3. lege:  
— ubi JEHOVA!  
Pag. 80. v. 7. lin. 4. lege:  
Semper atqve prædicetur.  
Ibid. v. 2. lin. 2. & pag. 24. v. 13. lin. 3. leges  
— brabeon, & brabeum,  
Pag. 128. lin. 13. post velit, infere:  
pro tribus syllabis brevibus al-  
qvid, e. g.  
Pag. 133. v. 3. lin. 5. & 6. lege:  
— dexterā  
Sua dona seminavit,
- o •
- Reliqua si qvæ occurrunt errata, B. L. pro-  
suā humanitate, aut excusabit,  
aut corriget.


















WQ

23 460

AB 23460

ULB Halle


007 533 87X

3



M M n 1 1 ! M

R



**Farbkarte #13**

Centimetres

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



HYMNOLOGIA  
SACRA.  
Sive  
DECADES OCTO  
**HYMNO-**  
**RUM,**  
Qvarum  
Qvatuor priorum  
plerosque  
Melodiâ & Rhythmo  
conformi  
**GERMANICIS**  
Latinos fecit:  
Reliqvas qvatuor Decades  
collegit,  
& partim recensuit  
**JACOBUS HENRICUS**  
**PAULLI, SIM. F.**

HAFNIAE, A. O. R. M DC XCIX.  
Typis VIDUÆ Joh. Phil. Bockenhoffer.  
Prostat apud JOH. JUST. ERYTRO-  
PHY LUM.